






SCRIPTORES AETHIOPICI

SERIES ALTERA — TOMUS XXI

VITAE SANCTORUM INDIGENARUM



CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES AETHIOPICI

VERSIO

SERIES ALTERA — TOMUS XXI


VITAE SANCTORUM INDIGENARUM

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVI


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

GADLA EWOSṬĀTĒWOS

SIVE

ACTA SANCTI EUSTATHII

INTERPRETATUS EST

BORYSSUS TURAIEV

Eustathius, sanctus Aethiopum celeberrimus, saeculo XIV, Amda-Ṣĕyon regnante, in regionibus Abyssiniae septentrionalibus floruit. Doctrinam suam, quae usque ad regis Zar'a-Yāʿqob tempus ab ecclesia Aethiopica approbata non est, inter complures asseclas, qui daqiqa-Ewosṭātēwos, i. e. « liberi Eustathii » appellabantur et per totum Tigre et Gŏzam dispersi erant, propagavit.

Vitam et miracula eius quinque codicibus, qui adhuc innotuerunt, contineri constat. Tribus modis, ex uno fonte fluentibus, sed haud parum inter se discrepantibus, acta sancti in illis narrata sunt. Codices Musaei Britannici Orient. 704 et Orient. 705 non nisi paucis lectionibus variis et numero miraculorum, e quibus aliquot in Cod. Orient. 704 omissa sunt, unus ab altero dissentiunt. Alterius recensionis textum exhibent cod. Orient. 702 Mus. Brit. et cod. Vaticanus Aeth. 46, ut videtur. Tertiae recensionis textus in codice acephalo Musaei Britannici Orient. 703 invenitur.

Quae cum ita sint, tres recensiones separatim latine vertendas esse censeo. Accipias proxime versionem latinam Actorum Eusthathii secundum codices Orient. 704 et Orient. 705 Musaei Britannici.

Codicum descriptio in Catalogo, a v. cl. WRIGHT edito, p. 184-186 habetur. Saeculo XVIII transcripti esse videntur hi codices.

Textum aethiopicum, anno 1905 exeunte, Petropoli edidi in libro cui titulus: *Vita et miracula Eustathii*, ad fidem codd. Orient. 704 et Orient. 705 Musaei Britannici.

De Eustathio tractavi in libro meo, moscovita lingua scripto: *De fontibus historiae Aethiopicae hagiologicis* (Petropoli, 1902), pp. 154-176.

Petropoli, a. d. IX Kal. Novembris,
die Ss. Negranorum Martyrum.

B. T.

I.

ACTA SANCTI EUSTATHII

AD FIDEM CODD. MUS. BRIT. ORIENT. 704 ET ORIENT. 705.

In nomine Dei Patris, antiqui dierum, aeterni substantia, | Mus. Brit. Cod. Or. 705. f. 3 r.
5 terribilis terribilium potestate sua, summi summorum regno suo,
Cuius adspectus candidior est nive
et vestimentum sanctitatis illustrius est sole,
e Cuius throno vox Cherubim exit ad Eum laudandum,
Cuius domus parietes exstructi sunt igne,
10 et pavimentum ipse ignis est,
et tectum cursus stellarum et fulgura sunt;
Quem adorant milia et myriades myriadum angelorum,
sanctitatis sanctorum, qui Ei appropinquant et ab Eo die nocteque
[non recedunt, neque abeunt.
15 Et in nomine Dei Unigeniti Filii, Cuius viae in consummatione
[et turbine, [1]
facies velut species fulguris, et quasi chrysolithus corpus Eius,
et oculi Eius terribiles sunt, ut lampades ardentes;
brachia Eius et pedes, quasi species aeris candentis, [2]
20 linteum prophetiae ornatus Eius est,
et aurum obrizum zona Eius est:
Hic est Verbum Patris et Verbum suum
et Verbum Paracleti hic Unicus,
nam hoc Verbum Dei perfectum est.
25 Et in nomine Dei Paracleti, Trinitatis perfectae, inconfusae:
Hic est Spiritus Patris et Filii, et Spiritus sui ipsius, non
[expers throni,
Lux est in circuitu Eius, ut iris tempore pluviali; species Eius,
[ut fulgura
30 et ut vox multarum aquarum, et ut strepitus multarum co-
Strepitus currus Eius in tremore; [piarum.
animus prophetiae tenuis, qui volitabat post Ezechielem,
non perspicuus oculo mortalis;
sol clarus, fulgens in cordibus fidelium, [rum.
35 *terribilis torrens ignis, qui effunditur in ora senum et puero- | f. 3, v.

[1] NAHUM, I, 3. — [2] DAN., X, 6.

In generationem et generationem gloria eius, non caduca.
In hoc nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, a puero ba-
Haec est vestis fidei meae, [ptizatus sum.
ter contexta in Iordane; haec est galea salutis meae
cum tribus cornibus. Ei servio et odoror suavem odorem Eius
Fides mea in Eum constans est; [Trinitatis. 5
innitor arbori Crucis Eius.
Ei gloria et gratia in terra et in caelis,
ore hominum et angelorum et ore omnis creaturae,
in saecula saeculorum. Amen.

10

Incipimus, adiutore Deo Domino nostro Iesu Christo, scribere certamina beati et sancti Eustathii, casti, electi et puri, prophetae magni, spectatoris arcanorum, sacerdotis sacrificalis, salsi divino sale, quem squalor peccati non tetigit, ut Moysen legislatorem et Eliam, aemulatorem legis Domini exercituum, 15 assumptum in caelos in igneo curru; praeceptoris legis, ut Petrus, cui datae sunt claves Regni caelorum; institutoris instar Pauli, linguae myrrhinae; qui se induit imagine angelorum, Antonii instar et Macarii. Oratio eius et benedictio eius sint cum dilecto eius Ionatha [1] et cum nobis omnibus, prole baptismi, 20 in saecula saeculorum. Amen.

Huius sancti pater erat a genere principum (m a k ŭ ā n e n) procerumque (ʿ a b a y t), qui a sole oriente, nomine Krestos-Mo'a; nomen matris eius Sena-Ḫeywat. Ambo erant iusti et pii, et amabant peregrinos. Et Krestos-Mo'a, pater eius, colligebat 25 f. 4. *senes regionis *suae* auxilio destitutos, et viduas et anus quae maritos non habebant; Sena-Ḫeywat autem, coniux eius, parabat cibum potionemque pauperibus. Et alebant famelicos, et manebant in lege puri matrimonii, et nesciebat Krestos-Mo'a aliam mulierem praeter eam, et Sena-Ḫeywat, uxor eius, ne- 30 sciebat alium marem, praeter maritum suum. Et multos annos vivebant liberis carentes. Et Sena-Ḫeywat lacrimabat multum quia liberos non habebat. Et vota Deo faciebat et precabatur, et orabat corde afflicto cum multis lacrimis et dicebat: « Da mihi, Domine, filium, qui fructum veri faciat; da mihi, Domine, 35 eum qui dolorem meum consoletur et meum cor hilare fa-

[1] Nomen viri Abyssini, qui Cod. 705 Mus. Brit. suis expensis scribendum curavit.

ciat ». Et votum eius pervenit ad Deum exercituum. Et dolor cordis eius mutatus est gaudio, et planctus eius in gaudium ei conversus est. Et missus est ad eam archangelus Michael a Deo et dixit ei: « Paries filium purum sanctumque, et erit salus
5 multis doctrina sua; interpretabitur libros prophetarum et explicabit legem apostolorum, et suis doctrinis sapientes reddet eos qui imprudentes sunt, fluminibus sapientiae et cognitionis elicitis e duabus mammis spiritus, e Moyse mel et ex Evangelio lac cognitionis sine vitio, quod non labefacit bibentem neque facit
10 temulentum eum qui id servat, neque prosternit sequentem semitas eius. Et servans vocem doctrinasque eius capiet aeternam vitam, et exsequentes doctrinas eius servabo a tentatione, sed ei qui obsistent doctrinis eius erunt ut arena *areae, quam ventus aufert, cuius locum non agnoscunt neque vestigium in- f. 4 *v.*
15 veniunt ». Et Sena-Ḫeywat, cum vidisset angelum Domini loquentem secum, verita est et magno terrore visionis eius trepidabat. Nam alae eius erant ignis flagrans et ardens, et formatus erat in flamma potentiae, et vestimentum eius erant prunae. Et loquebatur placide cum ea de parvulo qui nasciturus
20 erat ex ea. Et removit ab ea timorem, et cor eius gavisum est, cum verbum Angeli Dei audivisset, et mens eius de dolore se consolata est.

Et ea narravit Krestos-Mo'a, marito suo, quomodo angelus purus archangelus Michael sibi laeta nunciavisset de par-
25 vulo qui ex ipsa nasciturus erat. Et dixit ei Krestos-Mo'a: « Antea cognovi de parvulo, qui e nobis nascetur: is erit domicilium Spiritus sancti. Et abundabit in eo sapientia et prudentia, et in fide constans erit, et gratia perfectus, constantia cinctus, amore lucens, fide indutus ». Et post paucos dies, Sena-
30 Ḫeywat, uxor Krestos-Mo'a, concepit et peperit pulchrum parvulum secundum annunciationem archangeli honorati Michaelis. Et parvulus, cum lac matris suae sugeret, oculos tollebat, et Deum praedicabat et eum laudabat; et hoc mater eius admirabatur. Et dicebat: « Non fuit neque erit talis parvulus: an-
35 tequam cum hominibus loquetur, Deum laudat, et cantat et ei gratias agit ». Et mater eius hac re gavisa erat. Et dicebat: « Puer mi, lux oculorum meorum, quis te tales glorificationes docuit? » Neque quid ei infans respondit *aut dixit. Et pater f. 5.
ei nomen Māʿqaba-Egziʾe dedit. Et infans, cum in sinu matris

erat noctu hora precationis appetente denuo Deum laudabat. Vere laudabilis est Deus in sanctis suis, qui elegit hunc infantem et sanctificavit ex utero matris eius, ut Ieremiam prophetam ex Anathoth. Ut dixit ipse Dominus noster: « Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, 5 sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te ».[1] Vere sanctus est Dominus, qui hunc parvulum Spiritu sancto replevit. Et aperuit linguam eius, quae annunciaret gloriam suam, priusquam intellegeret bona et mala; nam is aperit aures surdorum et linguam parvulorum incorruptam facit. Prophetia Davidis 10 super hunc parvulum adimpleta est: « Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea: declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis ».[2] Et denuo dicit: « Lex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis ».[3] Etiam nunc dicit: « Do- 15 mine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam ».[4] Ut accepit Dominus noster Iesus Christus hymnorum cantationem ex ore puerorum hebraeorum, cum intraret tempore 20 « Hosannae », sedens super pullum, in portam Hierosolymorum, sic autem accepit odorem suavem gloriae ex ore huius parvuli, tertio die post eum natum. Et misit Deus duos archan- f. 5 c. gelos, qui parvulum *tuerentur, ne quid consilii contra eum Satanas caperet, tentandi eum causa, quomodo angelus faciei 25 Abraham tutatus erat.

Et cum desiisset ali uberibus matris, deductus est ad Danielem abbatem, qui doceret eum sapientiam et disciplinam. Et Daniel abbas cum vidisset Māʿqaba'Egzi'e, filium sororis suae, admiratus est gratiam Dei, quae requiescebat super eum, 30 cinctum fide et ornatum omnibus operibus boni, domicilium Dei et domum precationis Altissimi. Et deinde incepit discere abecedarium, et psalmorum librum Davidis, et carmina prophetarum. Et didicit totam Scripturam et interpretationem eius; et progrediebatur in sapientia et cognitione longius aliis 35 parvulis psalterii, qui discebant psalmos. Non garriebat neque

[1] IEREM., I, 5. — [2] *Ps.* CXVIII (CXIX), 129. — [3] *Ps.* XVIII, 8. — [4] *Ps.* VIII, 1-3.

ludebat una cum liberis parvulisque, neque erat una cum adolescentibus, nam a puero complevit eum gratia Dei. Recedebat ab hominibus et legebat psalmos et recitabat Scripturam, et prosternebat se et precabatur perpetuo die nocteque,
5 et cor eius amore Deum suum amplexum est semper, neque accumbebat eo, quo ei substratum erat, sed accumbebat humi, in arena pulvereque, et e somno excitabatur tempore quo monachi dormiunt, vigilabat et lacrimabat et eiulabat. Et cum cubaret, venit Michael archangelus et texit eum alis suis lu-
10 cidis. Monachi, cum vidissent eum in arena et pulvere cubantem, obiurgarunt eum: eis visus est amens *vecorsque. Et propter f. 6.
multam modestiam et sapientiam suam videbatur amens, animo suo reiecto et corpore suo neglecto, audiens mandatum Pauli apostoli, qui dicit: « Neco animam meam et corpus meum in
15 servitutem redigo ». [1] Et promanavit fama inter cunctos monachos qui in hoc monasterio erant, de labore et vigiliis pueri. Et cum notum habuissent primum certamen eius, id deseruit et aliud incepit.

Quis instituit hunc puerum sapientia et collaudationibus
20 huius modi? Nonne Spiritus sanctus? Et petebatne panem ut comederet, et pateram ut biberet? Omnia haec neglexit et desiit colloqui et iocular cum liberis; neque oblectabatur cum pueris, nam vigilantes angeli custodiebant eum in omnibus viis eius; ab utero matris erat sanctus et purus a maculis pec-
25 cati. Neque os eius dicebat mendacium, aut falsum, aut convicium, neque oculi eius vanitatem videbant, neque brachia eius tangebant quid impuri, neque aures eius verbum fuci et ioci audiebant. Pedes eius non ambulabant ut delicias mundi quaererent, sed ibant via veri et pacis. Et erat modestus verbo
30 opereque, et diligenter serviebat senibus. Et verebatur seniores et parebat iuvenibus, nam ei modestia praeter modum data erat. Et iuvabat eos qui erant in periculo, et pauperibus panem dabat et occulte ieiunabat, ne homines scirent labores eius, nam sperabat praemium a Deo. Maʿqaba-'Egzi'e fugiebat
35 gloriam et in elationem odium concepit, et divitias neglexit, et egestatem consectabatur, *ut se in regno caelorum locupletaret. f. 6 *v*.
Et praeposuit egens esse, ut gauderet cum iustis martyribusque

[1] Cfr., I *Cor.*, ix, 27.

in cena nuptiarum Agni. Non se submisit libidinibus carnis et in peccatum odium concepit, puritatem quaesivit, a voluptatibus et placationibus carnis recessit; sed se direxit in viam angustam, non latam, amavit verbum Evangelii, fuit egentium amicus, sed non divitum amicus, ne praemium caperet in hoc brevi mundo. Et pauperes amicos fecit et valde adamavit leprosos et advenas; nam ei quinque mnas dedit Deus. Et prospiciebat ut eas augeret et duplicaret et cum usura Deo et Domino suo redderet. Omnem noctem curabat eas et per longos dies custodiebat eas et delectabatur eis. Et iuvabat eum Spiritus sanctus, dum cogitabat et dum optabat ut perficeret; nam agebat Dei causa, cui nihil est hypocrisis vel personae respectus, iuste enim ibat. Quam ob rem, via eius prosperum successum habuit, et opera eius amorem Dei sui et hominum consecuta sunt. Et fuit egregius et acceptus et perfectus in omnibus actis suis. Et adolevit in domo Dei, ut Samuel propheta. Nec ioculabatur neque blaterabat cum liberis et suis aequalibus, neque erat iurgiosus in litibus, sed erat diligens in ieiunio et precatione. Et quando eum liberi verberabant, non respondebat malo, ut Paulus dixit: « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum ». [1] Et levabat *oculos suos et intuebatur in eum qui verberaverat et deriserat eum, et erat erga eum comis et benignus; et cum videbat peregrinos, obviam eis ibat, et onera eorum ferebat, deinde pedes eorum lavabat et eis panem quem habebat unicum dabat, et ipse esuriebat et sitiebat iustitiam, plenus sapientia et circumseptus scientia et perfectus in amore Dei. Et magnus amor hominum et bona opera Dei grata, quae praestiterat, duplicata sunt in eo, et adauxit eleemosynam pauperibus dandam, et custodiebat advenas, et praedicabat Deum timentes, et festinabat servire senibus. Et illi benedicebant ei, cum viderent curam et benignitatem eius qui in ministerio suo aequus et in beneficia tribuendo largus est. Et posuit signum sapientiae in ore suo et ostium circumstantiae labiis suis; [2] nam Dominus sanctificavit eum ex utero matris eius et removit ab eo libidinem carnis et cogitationem inanem; quam ob rem et factus est administrator ecclesiae hic Maʿqaba-'Egziʾe, lignum fidei spiritale, quod planta-

[1] *Rom.*, XII, 21. — [2] *Ps.* CXL (CXLI), 3.

tum est secus decursus aquarum, [1] et floruit baccis sapientiae et corona benedictionis coronatus est, cuius varii generis aspectus dulcis oculis et iucundus est visu. Et obtemperabat magistro suo, et ad bona facienda alacer fuit. Et omnes mirabantur be-
5 nignitatem eius: erat parvus aetate et altus sapientia, et dicebant alius alii: « Quis, putas, puer iste erit, praestans opere, sapiens et prudens? Ipsum gratia Dei circumstat; ambulatio eius in lege est, tanquam senis. Et antevenit *monachos et prae- f. 7 v.
venit eos, cum graditur in templum ad precationem nocturnam
10 diurnamque ». Et cum abbas Daniel vidisset filium sororis suae, Mā'qaba-'Egzi'e, perfectum in omnibus bonis operibus, ut Moysen servare praecepta legis et, ut Petrum, conservare mandata canonum, et ea quaerere et diligenter scrutari, et, ut Antonium et Macarium, amavisse vitam monachalem, purum esse in pue-
15 ritia et conservatum in modestia, et perfectum in abstinentia, et coronatum esse lenitate, et continentem esse ore, quod propinquo non conviciabatur, placuit cordi patris Danielis et cordibus omnium filiorum eius, et elegerunt eum in diaconum et ei nunciaverunt, nam vere hoc dignus erat. Cum nunciavissent
20 ei et cogerent magister et omnes filii, puer trepidabat et iis dicebat: « Designate vobis e magnis aut parvis, mihi autem non sunt sapientia et ratio; imprudens sum et indignus ordinatione diaconatus, nam parvus sum, et mihi sapientia et ratio non sunt ». Et cum non possent ei persuadere, omnes monachi
25 doluerunt et eum deseruerunt. Et postero die apparuit ei Dominus noster Iesus Christus et dixit: « Pax tibi, Mā'qaba-'Egzi'e, a me electe et serve mi, qui adolevisti in praeceptis meis, nam delectatus sum ex te, ut servires Ecclesiae meae praecipue ex omnibus filiis magistri tui. Non ita, ut homo
30 spectat, ego intueor; nam homo intuetur facies, sed Deus corda intuetur; video et externa et intima hominis et foveo iustum, exsequentem voluntatem meam, et scrutor cor humanum *et f. 8.
examino corda et viscera: removeo a me superbum, et admoveo ad me humilem, et colloco eum mecum in throno glo-
35 riae; odi dolosum et blandum, et amo lenem et pacificum corde que purum, et castigo gloriosum, et misereor humilis. Quam ob rem et te elegi, a me electe et amate, ut elegeram David

[1] *Ps.* I, 3.

servum meum ex omnibus fratribus eius et feceram eum pastorem et ducem ovium mearum, et ibat in lege mea et in praeceptis meis. Et te, a me amate Māʿqaba-ʾEgziʾe, faciam patrem multorum, et medeberis sauciatis vulneribus peccatorum medicamento Spiritus sancti, et eos qui in errores inciderunt, excitabis ad paenitentiam voce tua vivifica ». Et haec cum locutus esset, adscendit Dominus noster in gloria in caelos, nam non recedit a servis suis et semper inter eos versatur. Et post haec venit Māʿqaba-ʾEgziʾe ad Danielem abbatem, magistrum suum, et ad fratres eius, et iis dixit: « Exsequar voluntatem vestram et voluntatem Dei Domini vestri; mihi ignoscite et benedicite ». Et admirati sunt fratres eius aetatem puerilem et eloquentiam oris eius, et dulcedinem sermonis eius, et benedixerunt ei cuncti una voce, tanquam uno ore; nam eis emissus est a Deo divinus afflatus prophetiae, et dixerunt ei: « Qui favit sacerdotio Moysis et Aaron, faveat et tibi, et qui elegit duodecim apostolos et illuminavit mundum luce iustitiae eorum, illuminet lucem tuam et amplificet nomen tuum, ut amplificavit nomina eorum in saecula saeculorum. Amen ». Et post haec volebant mittere eum ad metropolitam, sed alii *dixerunt: « Crescat! » Et tum Deus misit ei animum ut curaret animas multorum peccatorum.

f. 8 c

Et iterum apparuit ei Dominus noster Iesus Christus in igneo curru, et cum eo Michael et Gabriel archangeli. Seraphim et Cherubim se inclinabant sub curru eius et a dextra sinistraque erant decem milia et decies centena milia angelorum. Et dixit: « Pax tibi, Māʿqaba-ʾEgziʾe, serve mi et vir desideriorum, et actor veri! » Et haec cum locutus esset Dominus noster, osculatus est eum suo ore honorato et inflavit eum afflatu cognitionis et disciplinae, et dixit: « Puer, voluisti transire per angustam portam, ut me exciperes; filius nobilium et divitum, te fecisti egentem mei causa; adolescens, avertisti animum tuum a voluptatibus terrestribus et ab hominum commercio. Et quam ob rem veni ad te ut foedus tecum facerem, sicut id feci cum Moyse servo meo in monte Sinai, et cum Petro summo apostolo in monte Oliveti, et dixi Ezrae prophetae: ‘Mare positum est in spatioso loco, est remotum et latum. Erit autem ei introitus in angusto loco positus, et est quantum flumen. Et si quis desiderat venire ad hoc mare, ut

videat illud, et reperiat illud, nisi transierit per has angustias introitus eius, in latitudinem venire quomodo poterit? ' Haec est via fidelium; quod autem attinet ad tuam viam et viam similium tibi, dixit: ' Est alia civitas, aedificata in loco campestri,
5 plena est *omnium bonorum; introitus autem eius angustus et f. 9.
in praecipiti positus; a dextra eius ignis et a sinistra abyssus, et sola est via inter abyssum et ignem, neque capiat semita eius nisi solummodo vestigium hominis. Si autem quis sit cui data esset civitas homini in hereditatem, nisi per
10 hanc viam scabram pertransierit, quomodo accipiet hereditatem suam? ' [1] Hac via i, neque deflecte in dextram neque in sinistram, et tali modo venies ad portum salutis. Ego sum ostium ovibus vere, si quis per me introierit, salvabitur. [2] Et nunc audi: te elegi, et te gratum habeo, et tibi potestatem
15 dedi ut apostolis. Et ab hoc tempore doce et nuncia legem meam et praecepta mea, et magnificabo nomen tuum amplius quam omnium magistrorum ». Et postquam haec Salvator dixit Māʿqaba-'Egzi'e, is adoravit ad pedes eius et dixit: « Inquire tibi, Domine, alium qui doceat populum tuum. Puer sum et
20 nihil scio ». Et Dominus noster dixit: « Olim locutus sum cum Moyse: quis dedit ora generi humano et quis facit mutum et surdum et caecum? Nonne ego Deus? Et tu i et doce, tanquam apostoli, Māʿqaba-'Egzi'e, mi serve ». Et respondit: « Domine, faciam omnia tua iussa, sed da mihi testamentum te veniam
25 daturum esse mei causa eis quos edocuerim ». Et ei Dominus dixit: « Dabo veniam tui causa, ut dixisti; at si liberi tui legem meam et praecepta mea deserunt, tu iudica eos ». Et dixit Māʿqaba-'Egzi'e: « Apostolis *locutus es secundo ad- f. 9 v.
ventu tuo eos sessuros esse tecum in duodecim sedibus iudi-
30 cantes duodecim tribus Israel. Egone autem, servus tuus ero ibi, Domine? » Et dixit ei: « Iudicabis una cum apostolis, a me dilecte, quod me dilexisti et te conservavisti in pueritia et in puritate, et in sanctitate, ut mea domus esses; nam ei qui multum diligit me, multus amor, et ei qui multum odium
35 concepit, multum odium ». Et ita sedebat cum Domino suo colloquens tres hebdomadas, non sumens cibum neque potum, adolescens aetate, et continens in loquendo, et perfectus in

[1] Esdr., iv (iii), vii, 6-9; Aethiop., v, 3-9. — [2] Iohann., x, 9.

rebus gestis. Haec cum locutus esset, Dominus noster ascendit in caelum in gloria.

Māʿqaba-'Egzi'e quaerebant filii magistri eius et eum cubantem invenerunt, et tulerunt eum et interrogaverunt: « Ubi fuisti tot dies? » Et missus est ad Danielem abbatem, magistrum suum. Qui cum puerum vidisset, non interrogavit eum, nam animo sciebat ei visionem fuisse, ut Paulus dixit: « In eo Spiritus sanctus est, et omnia scit, et nemo est qui eum doceat ».[1] Et filii qui cum eo educabantur lacrimabant, cum viderent quantum corpus eius fame sitique maceratum esset, et valde lugebant postquam eum amiserunt primum, deinde cum eum invenissent, gavisi sunt. Et alii colebant eum, ut patrem suum, alii amabant, ut animam suam. Et Daniel abbas prohibuit ne verberaretur aut offenderetur verbis a filiis suis, nam videbat magnam gratiam quae in eo manebat a Deo, et eum futurum esse patrem et magistrum multorum hominum praedicatione doctrinaque. Et ab hoc *die neque offendebant eum, neque eum male tractabant, sed colebant eum; et ille avidus non erat honoris aut gloriae, nam verbo Veteris Testamenti adolevit et verbo Evangelii crevit.

Et post haec missus est ad metropolitam, qui eum faceret diaconum; et placuit omnibus filiis congregationis, ut scriptum erat. Et tum metropolita eum fecit diaconum; et erat ecclesiae tanquam oculus et auris eius, nam lumbis cinctis serviebat in ea, ut nauta qui vigilat gubernans navem suam. Et laetus currebat ad ministerium ecclesiasticum, ut gubernaret rectos in undis peccatorum doctrina verbi sui. Et erat plenus Spiritu sancto et in fide firmatus, ut Stephanus archidiaconus constitutus manibus apostolorum. Ab hoc tempore erat cogitatio eius ad tertium caelum et ad thronum Numinis, et videbat oculis suis Spiritum sanctum, tanquam columnam igneam super hostiam in interioribus velaminis.

Et post haec, quodam die Māʿqaba-ʿEgzi'e abbati dixit: « Concede ut monachus fiam et vestigia sanctorum sequar ». Et ei dixit: « Fiat, fili mi. Recordatus sum verbi Ieremiae: 'Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua '[2] ». Et pater eius spiritalis, plenus Spiritu sancto, peritus arcanorum ani-

[1] Cfr. Iohann., ii, 20. — [2] Ierem., iii, 27.

mae, precatus est super eum, et induit eum vestimento monachatus, et iussit recto iussu eum non redire retro, cum incepisset *bona facere. Et ei nomen dedit Eustathium, quod vertitur « pulchritudo Domini ». [1] f. 10 v.

5 Et post haec incepit bonum certamen certare, memor eorum quae in Evangelio Dominus dixit: « Iugum enim meum suave est et onus meum leve. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos », [2] et iterum dixit: « Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur ». [3] Et haec 10 cum cogitaret, vexabat carnem suam ieiunio, et precatione, et vigiliis multis, et abstinentia, in animo habens caelestia, non terrestria. Hic Eustathius, domicilium Spiritus sancti, non edebat carnem, neque bibebat vinum et siceram, ut Iacobus iustus, frater Domini nostri, et semper ieiunavit neque praetermisit cantum in 15 quoque officio horarum. Et sole occidente gustabat dimidium panis et dimidium dabat egentibus et advenis, neque iusculum parabat, sed aquam solam cum sale; et ieiunabat et precabatur occulte nocte dieque sine otio; et deseruit cogitationem de terrestribus, et similis factus est caelestibus. Et fecit vitam suam, tanquam 20 apud angelos; et suae animae locutus est: « Expers es concilii primogenitorum, quorum nomina in caelis scripta sunt, et concilii castorum, qui non maculaverunt corpus suum in peccatis et qui a feminis, sicut nati sunt, puri sunt ». Talibus verbis efferebat animam suam ad caelum, et neglexit corpus 25 suum, et vexavit illud fame sitique. Et cepit gladium Spiritus sancti, ut dixit Paulus sanctus, lux gentium, lingua suaviter odorans et scaturigo sapientiae: « Fratres, confortamini in Domino *et in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, f. 11. ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est 30 nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in 35 veritate, et induti loricam iustitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis. In omnibus sumentes scutum fidei,

[1] Etymologia barbara. Aethiops nomen Ewosṭātēwos quasi ex εὐστάθεια et Θεός compositum interpretari videtur. — [2] Matth., xi, 28. — [3] Matth., v, 6.

in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu sancto ». [1] Et haec cum cogitaret, Eustathius sanctus profectus est per hanc angustam portam et angustias in- 5 ducentes in vitam. Et luctabatur cum Satana, inimico bonorum, neque ibat per latam portam et spatiosam, in perniciem ducentem, qua multi intrabant.

Et cum postea Daniel abbas magister eius, et omnes filii eius vidissent abbatem Eustathium electum, a Deo probatum esse et 10 ecclesiam luce collaudationis suae illustrare, cum in ordine suo in medio eius magnitudinem Trinitatis nunciaret, ei dixit magister eius: « Fili, ex hoc tempore ordinare sacerdos, nam tibi f. 11 *v.* et aliis proderis, *quoniam tibi a Deo datus est spiritus sacerdotii, ut Ecclesiae eius servires, nam es imago angelorum non 15 dormientium et collaudatio angelorum non conticescentium; elegit enim te Deus, quod conservavisti corpus tuum a muliebri impuritate purum, eorum instar; nam Deus vult collaudari a puris et cantari a depressis. Et nunc pare mihi, fili, et audi quae dixit Paulus: ‘ Qui bene praesunt presbyteri, duplici ho- 20 nore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina ’ [2] et iterum dixit: ‘ Noli neglegere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae; insta in illis. Hoc 25 enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt ’ [3] ». Et postquam has institutiones audivit Eustathius sanctus, dixit magistro suo: « Sic, pater, fiat secundum verbum tuum ». Et missus est ad metropolitam, qui eum ordinavit sacerdotem. Ad eum sacerdotem constitutum descendit Michael archangelus 30 clarus et locutus est: « Sere verbum Dei et enuncia legem Altissimi et mandata Dei iustitiae, ut prius tibi iussum est ». Et posthaec exiit ad praedicandum et docendum, ut sanarentur contriti corde, qui vulnerati sunt peccatis et sagittis inimici, et ut lapsos restitueret. 35

Deinde in cellam revertit; et corpus suum fame sitique macerabat. Et priusquam homines doceret, ipse sic faciebat ut

[1] *Ephes.*, VI, 10-17. — [2] I *Tim.*, V, 17. — [3] I *Tim.*, IV, 14-16.

praeceptum est in scriptura legis. Et *ieiunabat XL dies et XL noctes, et petebat salutem totius mundi a Deo: ut sineret reges subiicere inimicos et vincere infideles, et ut dies eorum in iustitia et pace longiores faceret; et ut episcopi et sacerdotes gregem suum in puritate servarent, alentes corda doctrina divina, quae est Altissimi; ut iudices (m a k ŭ ā n ĕ n t) et praefecti urbium (ʿ a b a y t a-h a g a r) recte facerent iudicium pauperibus et egenis viduasque et pupillos custodirent; ut virgines et monachi acciperent coronam virginitatis et complerent vota sua in puritate et sine vitio; et ut omnes recti homines christiani, viri feminaeque, servarent vitam in connubio casto; et ut parvuli educarentur; et ut senes conservarentur; et ut ovibus caprisque et omni pecudi herba plantaque terrestris pullularet; et ut pluviae eo mitterentur quo optabiles sunt, et ut fructus terrae multi fertilesque essent et fruges terrestres crescerent; et ut Dominus aegrotantes et infirmos brevi sanaret; et ut Dominus proficiscentes terra marique in viam bonam dirigeret; et ut peccatores qui peccaverunt, paeniteret et redirent de peccatis suis, scientes dicta ab Ezechiele propheta: « Nolo mortem impii, sed ut convertatur et redeat ». [1] Et propter haec lacrimabat, et precabatur et petebat eis remissionem peccatorum, *ut apostolus dixit: « Multum valet deprecatio iusti assidua ». [2] Deprecabatur et orabat, ut mortui qui in Christum crediderunt, acciperent locum quietis in regno caelorum cum omnibus sanctis; et ut toti mundo sapientiam, et patientiam fidemque orthodoxam Dominus daret. Et cum ita deprecaretur, stabat pedibus non se acclinans quietis causa ad parietem, neque ad pilam, neque baculo nitens, sed manibus porrectis et in caelum spectans. Neque parabat fragilia bona in terra, neque duo vestimenta, neque calceos pedibus, neque baculum manibus, sed solum vestimentum; et ferebat crucem mortis suae, ut sequeretur vestigia Domini sui, et precatio eius accepta est, cum precabatur Deum suum, dicens: « Ramum gloriae, quem plantavisti in corde meo, ne exstirpet inimicus meus. Mnas quas mihi dederas, reddidi mercatoribus, et feneratione decem factae sunt. Et reliqui hunc mundum et te sperabam, et iuva me. Spectavi in salutem tuam, et complevi

f. 12. — f. 12 *v*.

[1] EZECH., XXXIII, 11. — [2] IACOB., IV, 16.

praecepta a te mihi constituta. Et ministerium ad quod miseras me, perfeci, ut servus constans et timens Dominum suum. Cinxi lumbos omnibus bonis et gressus meos dilatavi ad viam Evangelii in pace. Iunxi bovem meum et cepi aratrum meum, arabam arvum meum, et non respexi retro ne sulcus meus declinaret. Terra tulit semen veri et fructus gratos. Tempus messis venit, ut acciperem mercedem meam. Meum laborem f. 13. complevi, qui *in quietem meam me ducit. Conservavi diem meum, et secundum, et tertium, ut faciem tuam viderem et gloriam tuam adorarem. Malum reliqui, ut bonis saturarer. Tuam voluntatem complevi neque rursus redii, sed praeveni ne offendiculum aliis essem, ut claram coronam et mercedem in caelis acciperem ».

Postquam haec finivit, ad eum se contulerunt omnes magistri et monachi, dignitatibus suis relictis, et eius discipuli facti sunt; dilexerunt egestatem, cum viderent eum animam suam reliquisse in hac vita, ut eam apud Deum inveniret; nam sapiens erat natura sua et verbo submissus, et pulchritudine sermonis dulcior melle favoque, nam in arvo suo triticum spiritus sevit, et fructum vitae sine loliis messuit. Et praecepit Eustathius abbas filiis suis: « Si quis vestrum proximum suum offenderit, centies se prosternat, sin aliter, accipiat LXX verbera, memor verbi Iacobi apostoli: ‘ Qui detrahit fratri, detrahit legi ’ [1] ».

Et post haec, quodam die, cum Eustathius abbas sub olea erat, apparuit ei Dominus noster. Et mens corporis eius sublata erat, sursum de eo capta est, sed spiratio eius in eo erat, [2] et duos pueros vidit, qui una cum ipso in regno caelorum erunt. Et cum mens sancti rediisset et ille hos pueros pecudem pascentes e longinquo vidisset, nam per voluntatem Dei advenerunt f. 13 v. eo, ubi eos Eustathius *abbas vidit, discipulis suis dixit: « Ite et vocate hos pueros, nam Deus iussit me nunciare iis verbum eius ». Discipuli profecti sunt eo, ubi hi pueri erant et iis dixerunt: « Vos Eustathius pater noster vocat ». Et pueri suam pecudem reliquerunt et obedientes ad Eustathium patrem nostrum profecti sunt. Et instituebat eos et nunciabat eis verbum Dei dulcius melle favoque. Et pueri, cum verbum Dei audivissent, coram Eustathio patre nostro lacrimaverunt. Et cum iis

[1] IACOB., IV, 11. — [2] *Ascens. Ies.*, VI, 10.

verbum Dei ab incarnatione usque ad ascensionem Domini nostri Iesu Christi ordine narraret, hunc diem lacrimantes transegerunt. Et per voluntatem Diligentis homines, alter hoc die mortuus est, et postero alter. Hi pueri benedicti et puri corpore
5 animoque, sine peccato aut vitio, in regno caelorum Eustathii patris nostri amici et coheredes sunt.

Sanctus autem Eustathius perluxit, tanquam lampas in terra obscura, nam his diebus fertilis erat, tanquam uva virgae vitis.

Et erat refugium salutis a voragine omnibus fidelibus homi-
10 [nibus christianis.
Et eorum instar sit refugium salutis et liberet a morte
[repentina adamatum ab eo Ionatham
et Ḥabta-Maryam, filium eius, agnoscentes eum.
Eustathius sacerdos et suscitator mortuorum,
15 et splendor pulchritudinis, et margarita lucis;
exsolvat eum a sermone linguae malorum
et ab operibus Satanae *inimici, f. 14.
et a decem milibus angelorum malorum
in saecula saeculorum. Amen.

20 Et deinde, cum pater noster Eustathius ad docendum exiret, obvium habuit virum bonum et benedictum nomine Absādi. Et imposuit ei pallium suum, ut Elias misit pallium suum super Eliseum, fidum discipulum suum, et dixit is illi: « Te, pater, dilexi et te sequar ». Ita dilexit eum Absādi, filius Eustathii patris
25 nostri, et eum secutus est. Et sanctus, cum vidisset lenitatem et abstinentiam eius, et in Spiritu sancto ambulationem, induit eum vestimento monachatus et suum discipulum fecit. Et eum docuit scribere et legere sanctas Scripturas, et legem et monachorum instituta. Et brevi didicit, et peritus erat in omnibus
30 operibus eius, sacram Scripturam diligenter audiens et legens: nam multi homines e longinquo veniebant ut verbum eius audirent,

ab oriente, et occidente, et septentrione, et meridie,
audientes sermonem eius mirum et mirandum,
35 nam similis erat Philemoni, discipulo Andreae, sapienti
gnaroque, quocum columba collocuta est. [1]

[1] Vid. Lipsius, *Apocr. Apostelgesch.*, I, 618.

Et Eustathius, pater noster, per Spiritum sanctum novit
Absādi, post se, patrem multorum futurum esse
et eos directurum esse in viam rectam,
quae ducit in terram lucis.

Et post haec, Eustathius pater noster filiis suis imperavit 5
ne eleemosynam ab indignis caperent, sed viverent labore manuum suarum, iuvantes pauperes, ut sancti apostoli patres nostri in Didascaliis suis dixerunt: f. 14 v. *« Ministerium fidei docete filios vestros et laborem manuum, ne otiosi sint; nam nos etiam non fuimus otiosi, sed probati et periti omnium laborum; erant e 10 nobis agricolae, et scenofactores erant, et piscatores erant ». Et eis iterum dixit: « Filii, custodite pacem et quae aedificationis in invicem sunt, [1] et nolite propter escam destruere opus Dei, omnia quidem sunt munda mundis, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Induimini Dominum 15 et nolite cogitare desideria animarum vestrarum. [2] Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. [3] Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. [4] Et nolite communicare cum indigno, nam 20 apostoli dixerunt: ‘ Si quis precatur cum excommunicato, tanquam cum constituto, removeatur, tanquam et qui cum eo precatus est. ’ [5] Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, [6] sed dirigite animas vestras ad Deum et animum vestrum red- 25 dite instrumentum iustitiae divinae. Et peccatum vos ne in servitutem redigat, nam non sub lege vetere estis, sed sub gratia Dei. Et sabbata custodite, ut in lege Moysis praeceptum est, et in libris omnium prophetarum, et in canonibus sanctorum apostolorum patrum nostrorum. Et dies festos celebrate, ut ipsi 30 statuerunt in libro suo ‘ Synodos ’ ». Hunc suavem odorem et f. 15. *similem doctrinae eis collegit a fructibus omnium librorum sanctorum; nam Eustathius pater noster similis erat laboriosae api, quae colligit odoramenta de frugibus florum deserti, cuius labore reges et reginae vitam nutriunt. Et priusquam ho- 35

[1] *Rom.*, XIV, 19. — [2] Periphrasis. *Rom.*, XIV, 20, 2 et XIII, 14. — [3] *Rom.*, XIV, 1. — [4] *Rom.*, XV, 1-3. — [5] Cfr. *Abtelisat*, 10, apud LUDOLF, *Com.*, p. 331. — [6] *Rom.*, VI, 12-14.

mines doceret, Eustathius sanctus ipse agebat, ut Dominus noster in Evangelio dixit: « Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum ».[1]

Et cum sanctus esset in regione Sarāwē, docens et annun-
5 cians verbum Evangelii sancti, et eius doctrina accepta non esset, neque desinebant animas christianas vendere et sanguinem profundere, et violare, et plures uxores habere, quae lege Dei vetita sunt, Eustathius sanctus non edebat sex annos de fructibus terrae eorum, nisi aquam, sed certabat ieiunio oratione-
10 que orans et deprecans pro incolis Sarāwē, et pro toto mundo.

Eustathius, lampas Ecclesiae,
caput certatorum,
non edebat cenam a mensa ducum impurorum,
neque bibebat vinum et siceram in domo divitum superborum,
15 tanquam Daniel perseveravit, qui non edebat a mensa Nabucho-
[donosoris, regis Babylonis,
neque bibebat vinum et siceram in domo Darii, regis Me-
[dorum.

Et quodam die, cum sanctus in cella sua esset, unus e disci-
20 pulis eius attulit ei aliquid mellis et ei dedit ut ederet. Et postquam summo digito degustavit, dulcedinem eius admiratus est et hoc mel de ore suo humi iecit, ut retineret a se *voluntates carnis terrestres et dulcedinem cibi caducam. Et filiis suis dixit: « Hoc mel dulce est; inde a teneris adhuc *tale* non
25 gustavi ». Beatam praedicate praestantiam huius patris spiritalis, qui noluit gustare voluptatem cibi, sed fruebatur annunciatione Evangelii; nam suo Creatori parebat, qui suis discipulis dixit: « Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis », et iterum dixit: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Pa-
30 tris mei et perficiam opus eius ».[2] Et secum meditabatur quoque verba Pauli: « Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia; quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum
35 manducant, et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si man-

f. 15 v.

[1] MATTH., V, 19. — [2] IOHAN., IV, 32, 34.

ducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus.[1] Ei, qui manducabunt, quasi non manducantes, et qui bibent, quasi non bibentes, nam tota voluptas mundi huius praeterit ».[2] Haec omnia animo percepit et servare paratus erat. Et ferebat crucem mortis suae et secutus est Dominum suum, et animam suam abiecit in hoc mundo, ut acquireret eam in regno caelorum,[3] et necavit carnem suam in terra, ut vivus esset in excelsis per non praetereuntia et non senescentia tempora.

Eo die exoret Eustathius archipresbyter (l i q a-k ā h n ā t) gratiam *Ionathae, dilecto suo, in saecula saeculorum.

Post haec, concilium monachorum erat, et colloquebantur inter se magistri (m a m h e r ā n), alii aliis dicentes: « Patefaciamus peccata nostra, quae nobis supervenerunt, nam Salomon dixit: 'Qui celat peccata sua iniustus est, et qui semper dicit, adamabitur '[4] ». Et post haec narrabant omnia sua peccata, quae eis superveniebant. Sed Eustathius pater noster tacebat, et ei dixerunt: « Non narras nostri instar? » Nolebat autem aperire castitatem suam et manifestare vim iustitiae suae. Et eis dixit: « Ignoscite mihi, patres mei fratresque, nam peccata mea plura sunt ». Et cum eum cogerent, eis Eustathius pater noster dixit: « Vidi templum quoddam dulce visu et aedificio exornatum valde, et volui sacra administrare in eo. Aliud peccatum non feci, sed id quod gratum est Deo meo ». Et cum cognovissent castitatem virginitatis eius sine vitio, omnes surrexerunt et ei dixerunt: « Pastor egregie et interpres sapiens, ab hoc tempore eris nobis pater et magister; nam te Deus elegit, ut Petrum elegerat, et administratorem Ecclesiae et iudicem in regno caelorum fecerat ». Et alii ex iis acceperunt a manibus eius cucullum, alii schema, in prece eius fiduciam habentes. Et omnes magistri verebantur eum et sibi pastorem statuerunt, et exivit in omnem terram sonus eius et in fines regionis Aethiopiae verbum eius[5].

Erant duo principes (m a k ŭ ā n e n) ad portas regis, alter e Sarāwē et alter e Bur, et alter alteri dixit: « Eamus *ad monachum anachoretam, qui est in terra Sēwā, et arcana

[1] I *Cor.*, II, 6-9. — [2] I *Cor.*, VII, 31 (aethiop.) — [3] Cf. MATTH., X, 37-38. — [4] Cfr. *Prov.*, XVII, 9. — [5] *Ps.* XVIII (XIX), 4.

scit ». Et ad eum iverunt, et eum salutaverunt, et multum cum eo collocuti sunt. Et interrogavit eos hic monachus: « Estne in terra vestra monachus, Eustathius nomine? » Et ei responderunt: « Nescimus ». Et eis hic monachus dixit: « Explorate 5 famam Eustathii quoad eum inveniatis ». Et principes dixerunt: « Ubi sit, nescimus ». Et respondit iis hic monachus: « Vidi Eustathium, cum ante thronum gloriae staret, tanquam columna lucis: et splendore fulgebat et totus vestitus erat vestimento lucis, quod oculo intolerabile erat, et cingulum renum 10 eius erat ex auro obrizo, [1] et in collo eius monile aureum, et in capite corona praestantiae, et in manu crux lucens, et colloquebatur potestate praeditus coram Deo et dicebat: ' Doceo et facio omnia ut me iussisti. ' Et Salvator Eustathio servo suo dixit: ' Accipe mercedem tuam totum mundum quod creavi, 15 nam mihi gratum fecisti, tanquam mei sancti apostoli. Et servavisti castitatem carnis tuae et virginitatem tuam sine vitio, tanquam Iohannes Baptista, et ideo stabis ante thronum gloriae Patris mei cum omnibus sanctis martyribusque. Et praevalebis tanquam lux ignis, et os tuum complebitur benedi- 20 ctione, et labia tua laudabunt nomen Dei spirituum ' ». Et deinde hic monachus principi Sarāwē et principi Bur dixit: « In terram vestram cum reversi eritis, salutate Eustathium *honoratum, qui lucet tanquam stella caelestis ante thronum f. 17. gloriae Dei ». Et interrogaverunt: « Qualia opera Eustathii 25 sunt? » Et eis hic monachus dixit: « Hic Eustathius propugnaculum firmum est vestrae terrae, tanquam Elias aemulator, et Ieremias columna ferrea ». Et hi principes, cum audivissent nuncium de Eustathio electo, lapide pretioso, qui a p o r g e w o n nominatur, et qui in terra sua germinavit et de lapide s o p h o r, 30 qui illustrat terram suam, magno gaudio gavisi sunt, postquam de Eustathio sancto audiverunt. Et monstravit et narravit eis homo quidam, qui eius sanctitatem noverat, et eis dixit: « Similis est angelis, et die docet et totam noctem vigilat ». Et eis monstravit locum in quo erat. Et hi principes iverunt ad 35 Eustathium egregium in mente cuius stella lucida fulget, et cuius odor suavis dulcis est tanquam odor suavis deserti. Et postquam eum viderunt, salutaverunt eum et eum adoraverunt, et

[1] DAN., X, 5.

ab eo benedictionem acceperunt. Erudiebat autem eos admonitionibus veri; et acceperunt sermonem eius et confisi sunt in precibus eius. Et reverterunt in domos suas cum pace, et ex eo tempore non vincebantur ab hostibus, nam non confidebant equis, neque micantibus armis, neque pedibus qui currebant tanquam 5 lupi occidentis, ut David in psalmo dixit: « Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius »; [1] sed principes confide- f. 17 r. bant in precatione Eustathii *casti, et confidebant in gratia 10 Altissimi.

Deinde, quodam die, cum hic Eustathius, lucida lampas, doceret in terra Zābyāt (?) verbum Dei exercituum, promisit hominibus convivium nuptiale caeleste, et coronas, et thronos, et vestimenta gloriae, in septimo caelo promissa rectis et marty- 15 ribus, qui hunc iniquum mundum et omnia opera eius reliquerunt. Et his quae docebat homines auditis, exiit e domo sua virgo iuvenis, et pedes eius amplexa est, et flebat fletu magno et loquebatur: « Pater, audivi doctrinam tuam, et intravit, sicut aqua in interiora mea, et sicut oleum in ossibus 20 meis, [2] et membra mea madefecit. Pono animam corpusque meum in manibus Dei Domini mei, et confido precationi tuae. Fac me monacham, ut vestigia sanctorum sequar ». Et Eustathius sanctus admiratus est pulchritudinem eius et constantiam sermonis eius, et ei dixit: « Potesne, virgo iuvenis, portare 25 onera sanctorum et tentationes Satanae? » Respondit illa Eustathio sancto: « Qui iuvit Theclam et Pelagiam, cum eas Paulus doceret, me quoque iuvabit ». Et Eustathius pater noster, his auditis, valde gavisus est de eius constantia fideque et eam cum filiis suis collocavit. Et incolae terrae, cum vidis- 30 sent eum cepisse et eduxisse hanc puellam, arma ceperunt et voluerunt obsistere ei, et eam vi adimere. Et Eustathius f. 18. sanctus, *cum vidisset contumaciam cordis incolarum terrae, precatus est Dominum Deum suum dicens: « Qui bis eduxisti e caelo ignem Eliae et Philippo apostolo in oppido Afrāqyā, 35 ut sacerdotes idolicos [3] circumdaret, et Andreae in oppido an-

[1] *Ps.* CXLVI (CXLVII), 10. — [2] *Ps.* CVIII (CIX), 18. — [3] Vid. BUDGE, *The contendings of the Apostles,* I, 130; II, 250.

thropophagorum.[1] nunc, Domine, deduc ignem e caelo in hos homines durae cervicis ». Et postquam orationem suam perfecit, ignis e caelo descendit et inclusit hos malos viros, qui Eustathium sanctum persequebantur, et a lege Dei aberraverant. Et incolae oppidi, cum vidissent se igne e caelo inclusos, se commovebant huc et illuc et currebant, ut ex hoc igne evaderent, sed ignis sequebatur eos, neque poterant evadere. Exclamaverunt hi homines ad Eustathium sanctum et dixerunt ei : « Miserere nostri, pater, et noli interimere nos pro multa amentia nostra, et pro peccatis et delictis nostris quibus te offendimus. Et ora, pater, Deum tuum, ut ignis desinat nobis, et flamma eius restinguatur ». Et precatus est Eustathius sanctus Deum, dicens : « Miserere, Domine, creaturae tuae et noli interimere eos pro amentia eorum ». Et statim ignis exstinctus est et flamma desiit. Hoc miraculo viso, hi homines Eustathio sancto dixerunt : « Putavimus te hominem sicut nos esse, et nesciebamus Deum tecum esse, et te efficere miracula et ostenta, tanquam apostoli eius ». Et hanc virginem monacham fecit, ut *cor eius volebat, et multos qui hunc caducum mundum et divitias et gloriam terrae neglexerunt. Et oratione et supplicatione Eustathii sancti tunc in tota hac terra fides apparuit. f. 18 *v.*

Sanctitate et puritate et abstinentia Eustathii sancti,
qui calcavit mare navi vestis,
servetur Ionathas, filius eius, auxilium eius quaerens;
tueatur carnem et animum eius
ad extremum usque spiritum.
In saecula saeculorum. Amen.

Deinde narremus historiam huius Eustathii sancti, luminis lucis matutinae, hominis terreni et viri caelestis, et angeli terrestris. Eustathius discipulis suis dixit, docens eos abstinentiam et lenitatem : « Si quis vir vestrum meum dextrum oculum evulserit, utinam ne possim ei inimicus esse et eum ulcisci, sed augeam amorem erga eum ! » Hic Eustathius ter Hierosolyma peregrinatus est, et cum rediret Hierosolymis, cum discipulis eius erat monachus quidam opulentissimus possessionibus

[1] Ibid., I, 240 sq ; 331 sq.; II, 284 sq.; 399. Tamen ibi sermo est non de igne caelesti, sed de eluvione.

huius mundi. Et filii Eustathii sancti huic monacho dixerunt: « Age, pendamus iis qui nobis viam monstrabant; nam scriptum est: 'Dignus est operarius cibo suo'[1] ». Et hic monachus, postquam haec audivit, succensuit et maledixit Eustathio leni et patienti et pacifico patri nostro, qui subrisit et leniter locutus est 5 f. 19 et admonuit ut iram remitteret. Et *Eustathius sanctus suis filiis dixit: « Date mercedem ex opibus vestris pro eo, ut impleamus praeceptum Evangelii, quod Dominus noster dixit: 'Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos'[2] ». Et statim angelus Dei e caelo descendit et posuit igneum la- 10 queum in collo huius monachi qui Eustathio sancto maledixerat, et eum solum ab eius discipulis seiunxit. Et tum terra os suum aperuit et eum devoravit, tanquam Dathan et Abiron, qui Moysi obstiterunt. Et filii istius monachi qui Eustathio sancto maledixerat narraverunt ei, et his auditis trepidaverunt 15 omnes filii eius, et proni in facies suas ceciderunt, et ei corpora sua inclinaverunt, et dixerunt: « Sit pretiosa anima nostra[3] apud te hodie; patrem nostrum terra devoravit, quod tibi obstiterat et maledixerat; posthaec eris nobis pater et magister ». Et omnia bona Eustathio patri nostro dederunt et 20 eius discipuli facti sunt. Et sanctus haec bona templis tradidit et eis captivos redemit. Et tum ex eo tempore fama permanavit de sancto patre nostro per totam terram Ge'ez (Aethiopiam).

Audite, patres fratresque nostri, miracula et ostenta Eusta- 25 thii huius sancti patris, stellae clarae caelum inter et terram. Eis diebus sterilitas frumenti erat in omnibus regionibus quas docebat. Et filii Eustathii patris nostri venerunt et ei dixe- f. 19 v. runt: « Penuria annonae institit, capiamus a fidelibus *vaccas singulas nobis ipsis, ut faciamus e lacte eorum caseos nobis 30 in cibum, et eis vivamus ». Et eis Eustathius sanctus dixit: « Estote abstinentes et firmamini vi Spiritus sancti ». Et ei dixerunt: « Non possumus (vivere) sine cibo, et pretium pendemus eis pro vaccis ». Et Eustathium nostrum, cum egestatem et penuriam discipulorum suorum vidisset, misertus est eorum 35 et iis dixit: « Ite, et facite ut vultis ». Et cum penuria annonae desiisset, et cum messis appropinquaret et instituret, Eu-

[1] MATTH., X, 10. — [2] MATTH., V, 44. — [3] Cfr. I *Reg.* (SAM.), I, 26, 21.

stathius pater noster filiis suis dixit: « Reddite vaccas domino bonorum suorum ». Sed, caseis gustatis, recusaverunt reddere animalia fidelibus. Quare Eustathius pater noster oravit Deum, et haec animalia mortua sunt. Et filii Eustathii
5 sancti, cum hoc miraculum ostentumque vidissent, ad eum venerunt cuncti, lapides baiulantes, et dixerunt: « Pater, ignosce nobis et miserere nostri, ne moriamur horum animalium instar, nam omnia quae dicis voce tua, fiunt tibi; ut Moyses fecit Dathan et Abiron, et Core, et iis CCL viris qui offerebant
10 cum eo incensum, et ut Elias (qui) duos principes quinquagenarios cum copiis eorum interemit, et ut Petrus, postquam dixit Ananiae et Saphirae, et ut Thomas ei qui percussit faciem eius:[1] ita noli facere nobis; nam tibi data est a Deo potestas, et omnia potes ». Haec dixerunt cuncti filii, et eis
15 respondit: « Cavete, iam amplius *nolite peccare ». Et haec locutus eis benedixit, et reversi sunt in pace. f. 20.

Narremus et annunciemus miracula et virtutes huius Eustathii abbatis. Cum esset tempus cenae, attulerunt ad eum fratres cibum suum cui benediceret. Et ceperunt e manibus eius pa-
20 nem benedictionis, et deinde ederunt panes suos. Et posthaec tulit unus de filiis Eustathii patris nostri potum in patera et dixit: « Benedic, pater ». Et ei Eustathius pater noster dixit: « Num benedicam tibi solum his, an et eis quae in domiciliis vestris sunt? » His auditis, omnes trepidaverunt et dixerunt:
25 « Ea quae facimus occulte, cognoscit manifeste ». Et rursus, tulit quidam escam, oleo conditam, et paravit olus desuper ita ut homines non cognoscerent intus esse escam oleo conditam. Et hic discipulus Eustathio patri nostro dixit: « Benedic nobis huic cibo ». Et Eustathius pater noster, plenus gratiae et dono-
30 rum, gnarus arcanorum animae, ut Paulus[2] dixit: « In eo est Spiritus sanctus et scit omnia, neque indiget ut quis doceat eum », huic discipulo respondit: « Benedic, dixisti mihi, huic cibo, sed quibus benedicam: utrum eis quae intus, an eis quae desuper sunt? » Et haec locutus cibo benedixit. Et tum exsi-
35 luit et exiit esca, quae intra *olus erat, tanquam olla quae super ahenum fervet, et coram adstantibus apparuit. Et qui viderunt, miraculum Eustathii sancti admirati sunt, et collauda- f. 20 v.

[1] Vid. LIPSIUS, *op. cit.*, I, 258. — [2] Sic! Cfr. I IOHANN., II, 27.

verunt Deum facientem mirabilia super sanctos suos. Et Eustathius sanctus filiis suis dixit: « In posterum nolite afferre mihi cibum vestrum, ne omnibus offendiculum sit ».

Et post hos dies, Eustathius pater noster morbo affectus est, sed infirmitas eius erat non ad mortem, sed ut manifestaretur maiestas Dei in illo.[1] Et ad eum cubantem in morbo suo venit Michael archangelus, et obumbravit corpori eius alis suis, et illuminavit totam domum, et ignem cellulae eius, qui exstinctus erat, incendit splendore lucis suae, et texit corpus eius alis suis, et consolabatur eum et delectabat iucunditate vocis suae. Et ei narrabat quomodo canerent coram Deo CXLIV milia parvulorum, qui bene Agnum secuti sunt, et quam vox cantus eorum iucunda et dulcis sit, quae oblivionem dolorum mundi facit. Cum haec narraret ei, venit unus e discipulis eius ut eum inviseret hac nocte qua aegrotabat. Et cum cellulae Eustathii sancti appropinquaret, magnam lucem vidit et timuit, et tremuit, et in domicilium suum rediit. Et deinde Michael Eustathio beato et sancto dixit: « Quoniam purgavisti animam corpusque tuum, ut esses domicilium Spiritus sancti, Altissimus f. 21. me *ad te misit, ut te consolarer et cor tuum delectarem ». Et sic locutus ab eo evanuit. Et statim revixit et convaluit Eustathius sanctus a morbo suo.

Sic sanum faciat Deus Altissimus
misericordia et potentia *sua*
servum suum Ionathan
qui eo confidit,
et longos faciat dies eius,
donec dixerit: « satis est mihi »;
in saecula saeculorum. Amen.

Erat vir quidam, qui vidit visionem Spiritu sancto. Dixit: « Vidi Eustathium Aethiopem et Aaron Syrum, qui disputabant coram Deo: ‘ Ego praestantior te certaminibus ’; et: ‘ Ego praestantior te certaminibus et laboribus et multis peregrinationibus. ’ Et eis sic disputantibus, apparuit Maria Domina nostra auream pateram plenam aquae vivae candidae portans, et dedit Eustathio patri nostro, loquens: ‘ Age, bibe hanc pateram, tu

[1] Cfr. IOHANN., XI, 4.

qui amoris Filii mei causa et mei causa peregrinatus es Hierosolyma; nam laudatus es coram Filio meo Nazareno, et coram Patre eius caelesti et coram Spiritu sancto vivifico. Et gaudent operibus, et laboribus, et peregrinationibus tuis conventus angelorum et hominum' ». Et huic Eustathio datum est donum caeleste a Maria Domina nostra et Virgine pura, quae est domicilium Divinitatis, sicut datus est ab Uriele archangelo Esdrae prophetae calix plenus aquae, cuius color igni fuit similis; et cum ex eo bibisset, impletus est sapientia, et gravis fuit in *pectore eius intellegentia, et spiritus eius conservabat XCIV scripturas:[1] eodem modo, Eustathio patri nostro spiritus sapientiae et abstinentiae, et spiritus cognitionis et mansuetudinis, et benignitatis, et spiritus intellectus, et spiritus prophetiae et doctrinae, et spiritus gratiae et sanationis, et spiritus potentiae auxiliique dati sunt.

Et fama de Eustathio patre nostro, capite monachorum, ad ʿAmda-Ṣĕyon regem, caput regum, et Deum diligentem, et orthodoxum, et aedificatorem templorum, pervenit. Hic ʿAmda-Ṣĕyon erat bellator cum infidelibus et idolicorum delubrorum eversor, fortis in pugna, velut Iosue, dux Veteris Testamenti: et velut David, rex Israël, plenus victoriarum, qui a cantatricibus glorificabatur, et corona gloriae coronatus, ita et hic rex ʿAmda-Ṣĕyon Deum diligens pervagabatur a mari usque ad mare et a terminis usque ad terminos maris Rubri, bellans cum gentibus infidelibus et contumacibus, quae in astrologiam credunt; et inimicos Christi vicit, et vi Dei adversarium suum prostravit. Et omnes gentes in extremis terris viventes coegit ut crederent et redirent ad fidem rectam. Et hic ʿAmda-Ṣĕyon, rex victor, cum nuncium de Eustathio patre nostro audivisset, misit ad eum, ut adduceretur. Et postquam is venit ad eum, illum osculatus est, et benigno sermone cum illo collocutus est, et dixit illi: « Si vis, cape tibi aliquid auri argentique et pretiosarum vestium, et tibi aliquid terrae ad commorationem tuam (faciendam) dabo, ut sit tibi et *filiis tuis post te. Et nunc, pater, mihi pater eris, et Deum pro me ora, ut regnum meum dirigat ». Et respondit Eustathius sanctus regi et dixit: « Nolo bonum huius mundi; nam amoris Christi causa haec

[1] Esdr., IV (III), 14, 40.

omnia desideria carnis reliqui, audiens verbum Evangelii: 'Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?'[1] Et iterum dicit illud: 'Qui constans non erit neque capiet crucem mortis suae, mihi servire non potest'[2] ». Quamobrem hic Eustathius sanctus divitias mundi huius repudiavit et carnem neglexit, ut animam suam apud Dominum acquireret. Et Eustathius sanctus postquam a porta regis decessit, omnes urbes terrasque obibat, annuncians evangelium regni.

Hic Eustathius pater noster, sanctorum prophetarum consecutor et annunciationis apostolorum missorum effector, cum annunciabat, non recedebat ab area templi, et hora orationis appropinquante, se cucullo tegebat, et lacrimas ex oculis profundebat, et fluebant e veste eius, quasi aqua; et corpus suum neglexit, et alvum suam fame sitique pressit, et pellem cum ossibus suis sedulo exsiccavit. Et cum Iacobus abbas metropolita, e terra Aegypti in terram Geʿez missus, in terram Chamasen advenisset, tum ei Eustathius pater noster obviam ivit, et coram eo se prostravit, *et osculatus est eum osculo spiritali, et ab eo benedictionem accepit; nam mos est ut sacerdos a manu metropolitae benedictionem accipiat. Et metropolita sciscitatus est ab eo opera et fidem et doctrinam eius. Et Eustathius pater noster ei respondit: « Fides mea et doctrina mea est fides Patris et Filii et Spiritus sancti, huius perfectae Trinitatis, quae a saeculo est Divinitate sua et usque ad saeculum manet in throno regni sui, huius Trinitatis quae omnia creavit et omnia condidit sola voce et solo spiritu, et quae scit ortum exitumque cuiuscunque, et nihil est quod nesciat, ut Paulus dixit, et per ea quae ab ipsa facta sunt cognoscimus eam, ut ipse cognovit numen eius: 'sempiterna quoque eius virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.'[3]

« Huius Trinitatis, quae omnia portat et omnia perficit, et et nihil est quod eam lateat; [nihil est quod non perficiat, huius Trinitatis, quae in domo Abraham hospes fuit; et in lege Moysis magnitudinem sabbati manifestam fecit. Annunciata est a prophetis et revelata est ab apostolis sanctis;

[1] MATTH., XVI, 26. — [2] Cfr. LUC., XIV, 27. — [3] *Rom.*, I, 20.

ea est columna stabilis Ecclesiae sanctae,
ea est magistra iustorum
et pulchritudo virginum castorum,
ea est corona martyrum victorum,
5 et spes monachorum certatorum.
Haec Trinitas posuit coronas super capita Cherubim
et coronavit *diadematis Seraphim, f. 23.

per ipsam omnia facta sunt et sine ipsa factum est nihil quod factum est. Et ipsa dedit per apostolos, et prophetas, et evan-
10 gelistas, et pastores et doctores, et per seniores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei ». [1]
Omnia haec et similia Eustathius pater noster dixit coram abba Iacobo metropolita. Et cum audivisset sermonem eius
15 et constantiam fidei eius, miratus est et obstupuit, postquam vidit sinceritatem et eloquentiam oris eius. Et benedixit ei, et in suo mulo collocavit eum una secum proficiscens iter; nam coniuncti erant verbo prophetarum et apostolorum, et concordes in fide recta.
20 Cum vidissent Eustathium patrem nostrum aestimari et diligi a metropolita, inviderunt ei monachi sacerdotesque maligni. Et consilium pessimum tractaverunt et dixerunt: « Lapidemus et necemus Eustathium nocte, ne homines nos animadvertant, nam omnes principes (m a k u ā n e n t a-h a g a r) urbis et prae-
25 fecti (š e y u m ā n), viri mulieresque ad eius doctrinam se vertunt, et cor metropolitae ad eum inclinatum est ». Et dimidium eorum dixerunt: « Si m a k ŭ ă n e n hoc consilium audiverit, nos necabit; nam diligit eum, tanquam animam suam, et spiritus sanationis est in ore eius, et omnes qui vocem eius au-
30 diunt ad eius doctrinam se vertunt, et sabbata eius colunt, et ad praecepta eius conservanda contendunt ». Et alii dixerunt: « Melius est nobis necari eum, nam nobis est molestus et intolerabilis ». Et consenserunt *maligni monachi sacerdotesque f. 23 *v.*
in eo consilio, ut lapidarent Eustathium patrem nostrum, cum
35 esset in cellula sua; nam solus vivebat, quia preci operam dabat Et tum descendit ad eum a Deo Michael archangelus, angelus auxilii et misericordiae, et dixit: « Recede e domicilio tuo,

[1] *Ephes.*, IV, 12.

sancte Dei, nam veniunt ut te lapident ». Et Eustathius pater noster Michaeli sancto dixit: « Melius est mihi mori manibus eorum, cum non peccavi contra eos; nam sine peccato Iudaei Dominum nostrum inter duos latrones cruci suffixerunt ». Et Michael respondit: « Recede, sancte Dei, e domicilio tuo, et noli obsistere praeceptis Dei; nam utilitati multorum te parat ». Et tum decessit Eustathius sanctus et consedit seorsum a domicilio suo hac nocte. Et iniecerunt lapides in cellulam Eustathii patris nostri hi maligni monachi, et in psalterium Davidis irruerunt una; et eis qui lapides iacebant visum est eum mortuum esse in domo in quam irruerunt. Et prima luce venerunt discipuli eius ut visitarent pro more suo abbatem suum. Et postquam viderunt eius cellulam collapsam et dirutam, putaverunt eum mortuum esse in ea, et lacrimabant, et valde eiulabant, et dicebant: « Pater! pater! » Et eis dixit: « Nolite lacrimare, filii mei, ecce *sum hic! » Et iverunt ad eum, et eum vivum invenerunt, et admirati sunt, et magno gaudio gavisi sunt. Et m a k ŭ ă n e n nomine Warāsina-'Egzi'e haec audivit, quomodo Eustathium patrem nostrum lapidavissent, et iratus est, et valde succensuit. Et hos monachos qui sanctum lapidaverunt, capi iussit. Et ad eum vincti adducti sunt, et multum vehementerque verberati sunt coram eo. Et Eustathius pater noster, cum audivisset eos captos esse, ad m a k ŭ ă n e n venit et ei dixit: « Noli verberare hos sanctos; absolve eos quos vinxisti! » Et m a k ŭ ă n e n Eustathio sancto dixit: « Abba, qua de causa adamavisti eos qui odium in te conceperunt, et te necare voluerunt? » Et sanctus respondit: « Quod ita nobis in Evangelio praeceptum est: ' Diligite inimicos vestros, et benedicite maledicentibus vobis ' [1] ». Tunc desiit monachos verberare, et omnes homines, qui videbant et audiebant quomodo veniam eis peteret qui voluerunt eum necare, obstupescebant et mirabantur misericordiam et lenitatem eius. Quid nominabimus et cui comparabimus hunc Eustathium sanctum? Utrum Abeli, cuius oblata erant iucunda Deo Altissimo, offenso et necato manu Cain fratris sui? an Henoch, qui in caelos in turbine venti assumptus est et vidit omnia mysteria angelorum? Vidit magnificos montes omnium lapidum; et *montem lapidis

f. 24. — f. 24 v.

[1] Luc., vi, 27-28.

salubris (stibii), et montem lapidis margaritae, et montem carbunculi, et inter eos septimum montem, cuius fundamentum velut lapis sapphirus.[1] Septimus mons explicatur, velut Maria, Virgo carne, Domina nostra, thronus sine vitio et suspicione
5 castus, in quo sessit Deus, rex regum, clementia et misericordia sua, cum terram visitavit anno quo mysterium cognitum est. Nam hic Eustathius magister fiduciam in vi auxilii eius ponebat et ad eam confugiebat, cum proficisceretur in mare sine navi. Ut lapis adamas erat durus, et vicit tentationes Satanae, et fluctus
10 peccati placavit. Et rursum, comparabimus eum Moysi prophetae, qui exorabat veniam maledicentibus sibi, sicut et is eis qui voluerunt eum necare beneficium retribuit pro malo. Rursum comparabimus eum Davidi leni et corde humili, qui non gaudebat clade Saulis, inimici sui, et qui lacrimabat et eiu-
15 labat de morte eius, et eis qui in domo eius remanserunt, benefecit. Ita et Eustathius pater noster non maledicebat sibi maledicentibus, neque ulciscebatur eos qui eum necare voluerunt. Comparabimus eum Eliae, qui filium viduae in Sarepta Sidoniorum ab inferis excitavit? aut Petro, filio Ionae, qui Ecclesiam
20 ordinibus legis et canonum ornavit et qui sanabat aegrotos et dolentes umbra sua, cum via ibat? Ita et Eustathius pater noster plenus sapientiae et intellectus, indutus lenitate et modestia, precabatur misericordiam et salutem eis qui eum necare voluerunt. His sanctis comparabimus Eustathium patrem no-
25 strum, *nam eis par est. Et ferens multos fructus similis factus est cedro paradisi, dulci fructibus et floribus suavi. f. 25.

Revertamur ad initium narrationis de Eustathio beato et sancto patre nostro. Die quodam, cum doceret, audivit silvestria delubra idolorum esse, in quibus homines idololatrae ado-
30 rant. Et eo ivit, cum esset aemulator legis Dei, sicut Honorius rex, qui cecidit et igne ussit silvam matris suae, in qua adorabat et sacra faciebat. Ita et hic Mar Eustathius has silvas cecidit et eas igne ussit, quoad cinis fierent; et ventus cinerem earum dissipavit ibi, quo erant. Et numerus delubrorum
35 silvestrium quae igne ussit erat XII, in Ṣalmā et in omnibus regionibus.

Et deinde ei bona mens venit a Deo Altissimo, quae ei dixit:

[1] Henoch., XVIII, 6.

« Proficiscere Hierosolyma, ut te firmes in veritate et vita, ut talentum augeas quod accepisti a Deo, et ei cum usura reddas, ut vocem eius audias: 'Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui '[1] ». Et statim cor eius exarsit amore Spiritus sancti; nam recordatus est adventum Domini nostri, cum Maria matre eius, e Bethlehem ad Dabra-Quĕsquām, in fame sitique, et in sudore fatigationeque. Et quoque recordatus est crucifixionem et *mortem eius in ligno crucis, et quoque recordatus est crucifixionem Petri, fundamenti Ecclesiae, cum cruci affixus erat capite inverso; et capitis privationem Pauli, linguae suaviter odorantis, cum facies eius muliebri velamento involuta est, et quomodo lac cum sanguine mixtum ex eo miraculi causa fusum esset; homines Romani et qui occiderunt eum mirati iverunt, gladios tenentes. Et quoque recordatus est fletum Timothei et Dionysii, egregiorum discipulorum, qui lacrimabant, cum duo lumina coronarentur, quae non seiungebantur in vita.[2] Et quoque recordatus est caedem Iacobi, filii tonitrus, et Iohannis, margaritae smaragdinae, quem in balneo Romana verberavit.[3] Et quoque recordatus est passiones omnium apostolorum, qui mundum veritatis causa ut purgamentum neglexerunt, qui vexabantur in aula regum igne, aut hasta, aut lapidatione, aut gladio. Et haec omnia recordans Eustathius pater noster, clamabat et lacrimabat, ut eis similis fieret; tum Warāsina-'Egzi'e pretiosum donum dedit et dixit: « Cape pro eis quae filii mei ederunt, ego autem nullos fructus terrae tuae edi, nisi aquam solam ». Et ita locutus, Eustathius sanctus filios suos congregavit et eis dixit: « Volo Hierosolyma proficisci ut legem et praeceptum Domini mei quaererem; vos autem, liberi mei, pro me orate, ut regat et dirigat iter meum. Et constantes estote in ordinibus quos vobis constitui ». Et Warāsina-'Egzi'e, cum audivisset *Eustathium sanctum Hierosolyma proficisci velle, succensuit et eum vinculis vinciri iussit. Et Eustathius sanctus vinctus precabatur Deum suum, vigilans totam noctem et nomen Dei invocans. Et tum descendit angelus Dei, et vincula

(Marginalia: f. 25 v. at line 9; f. 26. at line 32; line numbers 5, 10, 15, 20, 25, 30, 35.)

[1] MATTH., XXV, 21. — [2] De morte apostolorum hagiobiographus noster narrat secundum epistolam Pseudo-Dionysii Areopagitae ad Timotheum (Vid. BUDGE, op. cit., I, 58; II, 60 sq.). — [3] LIPSIUS, op. cit., I, 368.

eius solvit, et ei dixit: « Surge, sancte Dei! Quis retinebit eum quem Deus non retinet, et quis potest vincire eum quem Deus non vincit? » Et ita locutus, vincula Petri solvit. Dixit autem angelus ad eum: « Praecingere et calcea te caligas tuas »;
5 et fecit sic: et dixit illi: « Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me ». Et exiens, sequebatur eum. [1] Sic et huic Eustathio patri nostro vincula soluta sunt, et vis iustitiae eius apparuit. Profectus est custos vinculorum et narravit makŭănen; et perterritus est et mirati sunt omnes qui viderunt et audive-
10 runt hoc.

Et ea hora apparuit Deus noster et dixit: « Eustathi, serve mi, quem dilexi! Surge, et abi Hierosolyma et vade Bethleem, ubi natus sum, Nazarethque, ubi educatus sum, et ad Iordanem, ubi baptizatus sum, et ad Calvariae *locum, ubi crucifixerunt me f. 26 *v*.
15 Iudaei et affixerunt manus et pedes meos, et bibere dederunt mihi acetum in siti mea, et coronaverunt corona spinea caput meum dum illudebant mihi, et aperuerunt latus meum lancea. Et omnes discipuli mei discurrerunt et reliquerunt me unum. Et Maria mater mea, videns me, lacrimabat lacri-
20 mis amaris cum flagraret cor eius prae morte mea. Et aberat qui consolaretur me ex hominibus, nisi Ioannes dilectus ». Cum haec Deus noster locutus esset, assumptus est in gloria in caelum.

Et eo die properabat Eustathius pater noster et contendebat
25 ire Hierosolyma, et dixerunt ei filii eius: « Pater, cui relinquis nos, gregem tuum, quem multiplicavisti precatione et doctrina tua? » Et dixit iis Eustathius pater noster: « Nonne omnes Apostoli sancti, postquam persuaserunt et baptizaverunt, proficiscebantur in aliam regionem, ut implerent martyrium suum,
30 ut praeceperat iis Dominus noster? Et nunc audite, filii mei, etsi non ero corpore, spiritu ero semper vobiscum; si servabitis omnia quae praecepi vobis, non moriemini peste aut dentibus serpentium terrenorum; nolite properare in urbes mundi, nisi *in fide* communicaveritis cum iis ». Et iterum dixit: « Hieroso-
35 lyma, quo procifiscor, terrena sunt, si autem vivitis labore manuum vestrarum, iuvantes pauperes, porrigentes eleemosynam, congrediemur in monte Sion. Et nolite arare bobus; et dividite

[1] *Act.*, XII, 8.

f. 27. XII menses anni in partes tres: in duabus *earum efficite labores manuum vestrarum, quibus vivatis; una autem de eis sit ad paenitentiam et ieiunium et precationem remissionemque peccatorum, sit ad vitam animarum vestrarum salutemque vestram, ne dicatis: 'Non habemus sacerdotem.' Et observate 5 sabbata ut praeceptum erat in lege et prophetis et ab apostolis. Colite sabbata et dies festos institutos in libro « Synodos », et nolite misceri cum indignis; dilectionem habete ad invicem, vos et fratres vestri multi, qui vobis nascentur ». Et cum audivissent haec verba ex ore viri iusti, filii eius elevaverunt 10 voces suas et lacrimaverunt magna voce et dixerunt: « Ubi inveniemus talem pastorem et praeceptorem, qualis is est, ut animam suam pro ovibus suis ponat. Et cum narrabamus ei peccata nostra, eum paenitebat pro nobis et adaugebat labores nostri causa et pro nobis, ut sanaret animas nostras; neque 15 relinquebat ieiunium et precationem, afflictiones et vigilias, dolorem et infirmitatem propter certamina, effundens lacrimas in genas suas, donec viderit visiones caelestes salutemque animae suae ». Et sic locuti filii eius desiverunt fletum suum et dixerunt inter se: « Pater noster paratus est ire Ierusalem, 20 precemur autem una, ut accipiamus sacra mysteria e manibus eius sanctis ». Et tum venerunt ad eum omnes filii eius, maiores minoresque, et cadentes adoraverunt eum, sicut dixerunt apostoli in Didascaliis suis: « Adora celebraque eum qui est pater post f. 27 *v*. Deum ». *Et rogabant eum et dicebant ei: « Pater, volumus 25 accipere sacram Eucharistiam e manibus tuis ». Et Eustathius pater noster, bonus pastor et pater spiritalis, redigebat iis in memoriam e verbis Pauli apostoli, seminis Abraham, qui erat de tribu Beniamin, dicens: « Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit cor- 30 poris et sanguinis Christi; probet autem se ipsum homo, et purget carnem suam, et sic de pane illo edat et de calice illo bibat: qui enim manducat et bibit indigne, iudicium, et paenam, sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini nostri, [1] et animo impurus ». 35

Et talibus verbis docebat filios suos et instituebat eos. Et mirabantur omnes eloquentiam oris eius. Et ita respondit et

[1] Cfr. I *Cor.*, II, 27-29.

dixit eis: « Parate vos ad accipiendum mysterium; ego autem faciam secundum verba vestra ». Et deinde ivit domum sanctificationis Dei et procubuit in genua sua usque ad humum, et manus suas expandit ad caelum et precabatur Dominum Deum 5 suum, dicens: « Domine, exaudi orationem servi tui, et ne despexeris deprecationem eius,[1] et accipe precationes servorum tuorum, qui laborant tibi intrantque in sacrarium tuum, in quo habitat vis gloriae tuae, ut petent a te exorcismum[2] vitamque. Ignosce iis peccata eorum, et contemne impia facta 10 eorum; accipe paenitentiam *eorum, et intret precatio eorum ad te, ut odor suavis ». Sic locutus, iussit diaconum ministrare panes Eucharistiae ad sacramentum altaris. Et cum diaconus perfecisset ministerium sacrificii, iussit reportari Eucharistiam. Et Eustathius pater noster induit vestimenta sacerdotalia sine 15 fimbria,[3] ad sacra facienda. Et iussit diaconum, nomine Mercurium, sacra facere secum; hic diaconus erat bona conscientia et egregius et ornatus fide, ut Stephanus protomartyr. Et una sacra faciebant ritu apostolorum sanctorum, et Eustathius pater noster sacra faciens effundebat lacrimas, ut hibernam pluviam, 20 et cadebant in oram vestis eius et mutata est tota natura eius, et erat, sicut lux ignis, et candor membrorum eius, sicut candor divinus, sicut aurichalcum candefactum igne. Et consecratione perfecta, venit ad dicendum: « Mitte gratiam Spiritus sancti super nos ».[4] Et cum hoc dixisset, aperti sunt caeli et 25 retectum est tabernaculum lucis, et desiluit e curru et descendit Spiritus sanctus specie columbae albae, cuius pedes erant similes sublicis igneis, alae autem ut fimbria fulgurans, oculi splendebant ut ortus stellarum Orionis. Et operuit sacrarium, et impletum est nebula gloriae, ut sacerdotes non possent mini-30 strare ministerium suum. Et cum egressi essent e sacrario, sacerdos magnus Eustathius et Mercurius diaconus, ut darent populo Corpus *sanctum et Sanguinem pretiosum Domini nostri Iesu Christi, visi sunt populo ut columnae igneae, et facies eorum splendebant sicut sol, et vestimenta eorum erant alba sicut

f. 28.

f. 28 v.

[1] Cfr. *Ps.* LIV (LV), 1. — [2] R ĕ q y a t a. Vox significat incantationes, exorcismum et orationes falsas. — [3] Cfr. *Synodos*, f. 293 Tubing. (DILLMANN, *Lex.*, 600). — [4] Vide i. a. *Documenta historiam ecclesiae Habessinorum illustrantia,* coll. IOH. DE GRAÇA BARRETO (Olisp., 1879). t. II. p. 253 (*Bullarium Patron Portugalliae,* App.. t. III).

nix. Et impleta est ecclesia Dei flamma ignis divini. Et cum vidissent homines hanc magnam et terribilem visionem, ceciderunt in facies suas, et non poterant accipere sancta dona propter magnum timorem tremoremque, et nonnulli eorum se communicabant trementes; alii erant ut cadavera, et extulerunt eos foras, cum non accepissent communionem e manibus Eustathii sancti. Et qui ceciderunt, erant quinque viri, et postea hi quinque viri reliquerunt vestem monachorum et reverterunt ad sordes mundi, ut dixit Apostolus: « Canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti ».[1] Et hoc sciens Spiritus sanctus, qui scit occulta et examinat abyssos, retinuit hos quinque viros, ne acciperent communionem e manibus Eustathii sancti; ii autem qui erant digni, se communicaverunt et acceperunt gratiam benedictionis. Quomodo laudemus te, abba, quem laudavit Spiritus sanctus et cui benedixit Iesus Christus, nam tibi est gratia et benevolentia in saecula saeculorum. Amen.

Benedictio Eustathii, qui calcavit mare navi vestis, descendat et colligatur in Ionatham, filium eius, in saecula saeculorum. Amen.

f. 29. Virtus et certamen Eustathii sancti, quomodo certaverit et contenderit, ut devinceret Satanam, cum iuvaret eum vis manus A'ēnāwon (Αἰώνιος?), cum texisset eum lux gratiae lampadis. Et cum vellet ire Hierosolyma, precatus est Deum, Dominum omnis naturae, et dixit: « Pater Domini nostri et Servatoris nostri Iesu Christi, qui locutus es cum Abraham, creavisti Isaac, et suscitavisti testimonium in Iacobo et gratiam tuam in Ioseph, et legem tuam posuisti in Moyse, et qui servavisti populum tuum in deserto quadraginta annos, circumdedisti eos die nube et tota nocte illuminatione ignis,[2] qui locutus in Prophetis, et qui manifestavisti divitias gratiae tuae in Apostolis congregatis in una domo, cum descenderet super eos Spiritus sanctus tanquam ignis et loquerentur linguis omnium regionum: et mihi sis rector eo itinere quo proficiscar ». Et cum perfecisset precationem suam, audita est vox e caelo, quae dixit: « Eustathi, serve mi, quem dilexi, sis constans, noli ti-

[1] II Petr., ii, 22. — [2] *Ps.* lxxvii (lxxviii), 14.

mere; nam ero tecum, ego pro patre tuo, pro autem matre tua Ierusalem caelestis, et paradisus dulcedinis pro laboribus et certaminibus tuis ». Cum audivisset Eustathius sanctus hanc vocem a Deo, surrexit mane, ut iret Hierosolyma;
5 et convocavit suos filios et dixit iis: « Ne sacra faciatis hac patina et hoc aureo calice, donec cognoveritis meam mortem meamque vitam ». Et *dixerunt ei: « Sic esto ». Et hoc dicto f. 29 v.
ivit et direxit iter suum Hierosolyma, et comitabantur eum filii eius, et benedixit iis et dixit iis: « Filii mei, servate prae-
10 cepta mea quae praecepi vobis, ut conveniamus una in regno caelorum ». Et osculati sunt eum omnes filii eius et redierunt in suum locum, dolentes et moesti ob discessum eius; Absādi autem, filius eius, sequebatur eum, gaudens. Et dixit Eustathio patri nostro: « Non recedam a te; nam es meus
15 dux; neque vivus, neque mortuus relinquam te, mi pater! » Et venerunt in terram Bagŭăs (Bogos), et exceperunt eos homines Bagŭăs (Bogos) et exierunt duo duces (makŭānent) Bogos, insidentes equis, ut exciperent Eustathium sanctum; et cum equi vidissent eum procul, extimuerunt et tremuerunt et
20 neque protinus neque retro, neque ad dextram neque ad sinistram potuerunt ire equi, sed affixi sunt loco, sicut statuae, neque moveri poterant. Et cum vidisset populus vires et miracula quae faciebat Eustathius sanctus, miratus est et valde obstupuit; duo autem duces Bogos, hoc cum vidissent, trepi-
25 daverunt et metuerunt, et non inveniebant quae dicerent. Et cum vidisset Eustathius pater noster quantum metuerent, misertus est et obsignavit eos signo crucis. Et surrexerunt equi et iverunt; mirati sunt postquam viderunt quae acciderant, duo duces Bogos. Et agnoverunt precationem eius, et descen-
30 derunt ab equis, et adoraverunt Eustathium sanctum et salutaverunt eum. Et interrogavit nomina *eorum. Et dixit alter f. 30.
eorum: « Nomen meum est Merarā », alter autem dixit: « Gansāya Egzi'e est nomen meum ». Et dixit sanctus: « Non es Gansāya Egzi'e, te nominavit ita mater tua »; Merarā dixit:
35 « Dedit tibi mater tua tale nomen, non autem es Merarā ». Et hoc dixit Eustathius pater noster, sciens per Spiritum sanctum Merarā futurum esse vas electum Dei.

Et Eustathius sanctus cum exsperrectus esset mane ante lucem surrexit mature, et profectus est in oppidum Māryā. Et

appellavit Deus e caelo et dixit ei: « Eustathi! Eustathi! » Et respondit: « En me, mi Domine! » Et dixit ei Dominus: « Trade Spiritum sanctum qui est in te, Absādi filio tuo, sicut tradidit Moyses spiritum suum Iosue, filio Nun ». Et ea nocte vocavit eum Eustathius pater noster, et dixit: « Absādi, Absādi! » Et unus de discipulis eius cum audivisset hoc, ivit cum dolo, ut acciperet benedictionem Absādi. Et dixit: « Ecce ego, domine, adveni, vocasti enim me ».[1] Et Eustathius pater noster, sciens abscondita per Spiritum sanctum, cognovit abscondita huius discipuli, et dixit ei: « Cur voluisti benedictionem, quae tua non est? Nonne audivisti quae dixit Iohannes in Evangelio: 'Non potest *homo* accipere salutem, nisi fuerit ei datum de caelo'?[2] Quae benedictio non est tua, sed Absādi ». Et his dictis vocavit Absādi ter, dicens: « Absādi, Absādi, Absādi! » Et adiit abbas Absādi Eustathium abbatem, et adoravit et dixit ei: « Ecce ego, pater, nam vocavisti me ». Et f. 30, c. dixit ei *Eustathius sanctus: « Ecce tibi datur benedictio de caelo, quam non possunt accipere nisi iusti et electi, qui ingressi sunt per angustam portam, qui non amaverunt aurum et argentum, sed dederunt corpus suum laboribus; ex quo tempore sunt, nolunt terrenum nutrimentum ii qui habent se tanquam spiritum, qui praeterit. Et hoc servaverunt, et multum tentabat eos Dominus, et acquisita est castitas animarum eorum, ut benedicerent nomini Eius ». Et cum dixisset hoc verbum, Eustathius pater noster imposuit manum suam super caput Absādi filii sui, ut imposuit Moyses manum suam super caput Iosue, et imposuit Iacob manum suam Iudae et Levi[3] et benedixit eos in regnum et sacerdotium; et Ephraim et Manasse, cum duxisset eos Ioseph ad Israel patrem suum, ut benediceret iis, mutatis manibus suis, benedixit eis, dicens: « Faciat vos Dominus populum benedictum et sanctum ». Et tali quidem modo benedixit Eustathius pater noster Absādi, filio suo, dicens: « Benedictione antiquorum patrum et benedictione prophetarum et apostolorum, benedictione martyrum victorum et benedictione iustorum certatorum et benedictione omnium filiorum Adam electorum, benedicat te Dominus. Benedictio Michaelis ducis vigilantium, et benedictio Gabrielis annunciatoris lucis,

[1] Cfr. I *Reg.* (Sam.), III, 5. — [2] Iohan., III, 27. — [3] Mss. Ēli = Elias.

et benedictio omnium sacerdotum et benedictio totius concilii primogenitorum laetorum, et benedictio Dominae nostrae Mariae quae peperit Servatorem, requiescat super te et super omnes filios tuos consentientes, et in eos qui facient memo-
5 riam meam et *memoriam tuam, in saecula saeculorum. Amen ». f. 31.

Et cum finivisset benedictionem filii sui Absādi, unxit eum et signavit frontem eius saliva sua, ut unguento balsami, et dixit: « Examina libros praeceptorum et serva legem canonis sanctae Trinitatis, nam intrabunt post me lupi rapaces, [1] apo-
10 statae fidei, episcopi qui mutabunt legem et praecepta patrum nostrorum apostolorum, qui definiverunt et statuerunt fidem orthodoxam. Et hi sunt episcopi, haeretici et ministri idolorum et nestoriani, qui mutabunt fidem et quaternitatem facient sanctam Trinitatem, et denuo baptizabunt iterum fideles ». Locutus
15 haec Eustathius pater noster, imperavit filio suo et dixit ei: « Esto firmus et noli timere, nam vinces Nicolaitas. Et serva quae dixi tibi, et quaere haec, et disce haec, et mane in eis, quae te docui ». Et iterum dixit ei: « Filii mei, qui venient post me, iungentur amore meo; et audientes facta mea, gau-
20 debunt; et in iis firmabuntur constituta mea, et Deus benedicet iis ». Et cum audivisset hanc prophetiam ex ore Eustathii patris nostri, filius eius Absādi adoravit eum et dixit: « Veniat benedictio tua super me ». Et respondit ille: « Redi, fili mi, in locum tuum ». Et dixit ei Absādi: « Relinquam te, pater, nullo
25 modo; *ibo tecum ». Et cum dixisset haec, lacrimavit fletu amaro, f. 31 *v.* nam vidit eum abeuntem manibus vacuis, sine viatico, sine calceis in pedibus eius, sine baculo in manibus eius, sine substrato coxis eius; vestis eius erat solum caprinum pallium infra, supra autem non erat vestitus et nihil habebat quo se indue-
30 ret, sed memor erat dictorum a Domino nostro in Evangelio: « Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet et alterum diliget; aut uni adhaerebit et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et amare opes ». [2] Et horum memor, aspernatus est mundum et omnes concupiscentias
35 eius, reliquit cogitationes terrae et praeposuit caelum a quo senectus interitusque absunt. Neque cogitabat cibum et potum terrenum; alimentum eius erant lacrimae, fluentes ex oculis

[1] Cfr. *Act. Ap.*, xx, 29. — [2] Luc., xvi, 13.

eius, vestimentum autem verbum Dei; cingulum, funis virginitatis et duo gladii Spiritus sancti. Et cum venisset Eustathius pater noster in oppidum Māriā, dixit filio suo Absādi: « Esto constans et firmus, et serva omnia, quae praecepi tibi ». Cum haec dixisset, amplexi sunt colla invicem et lacrimaverunt 5 diu. Et dixit Eustathius sanctus filio suo Absādi: « Revertere et redi in locum tuum, neque dubita, discessus mei *a te causa, nam Deus, Dominus noster, erit nobiscum neque relinquet nos, et si discesserimus corpore, non discedemus animo, nam Deo nostro potestas est servare nos, et recipiet nos ad 10 se in regnum caelorum. Tu autem sta, aperte nuncians verbum Dei, et noli oblivisci eorum quae tibi praecepi, nam dixit Dominus noster: ' Quaerite primum regnum iustitiae Dei vestri, haec autem omnia adiicientur vobis ' [1] ». Et Absādi, cum audivisset haec, revertit in locum suum, ferens duplo Spiritum 15 sanctum a praeceptore suo Eustathio honorato.

f. 32.

Preces et benedictio horum siderum lucentium sit cum dilecto eorum Ionatha et cum omnibus nobis, populo Christiano, in saecula saeculorum. Amen.

Deinde Eustathius pater noster surrexit ut iret Hierosolyma, 20 lumbis suis fune Evangelii succinctis, et sumptis scuto fidei et armatura victoriae iustitiae, cum in facie eius splenderet lux Trinitatis, ut radii splendentis solis; nam memor erat verbi Domini nostri, ab eo dicti discipulis suis: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et audeat et tollat crucem mortis 25 suae, et sequatur me ». [2] Et haec intelligens, reliquit animam suam, in hoc mundo, ut immunditiam, ut recuperaret eam in regno caelorum; nam memor erat peregrinationum prophetarum, qui erant purae pluviae auri, et itinerum apostolorum, fluviorum lactis alborum, circumfluentium Ecclesiam. Et cum 30 iret, explicabat in via filiis suis et aliis monachis *quaedam* e verbis legis et prophetarum, e verbis Evangelii et apostolorum, ut studiosi essent perficiendi *certaminis. Et eos, quos ducebat, adduxit in terram deserti ubi neque homines, neque bestiae, neque oppida erant. Et venit dies septimus, 35 sanctum sabbatum. Et paravit se Eustathius pater noster, ut hoc sabbatum celebraret. Alii autem monachi dixerunt

f. 32 v.

[1] Cfr. MATTH., VI, 33 — [2] Cfr. MATTH., XVI, 24.

Ismaelitae qui erat eorum ductor: « Si iret iste Eustathius, iremus, ne moriremur hic siti ». Et cum audivisset hic Ismaelita, qui erat eorum ductor, verba monachorum, dixit Eustathio patri nostro: « Ite hodie longius, nam abest aqua ad
5 bibendum, et terra est desolata, et difficile iter ». Et dixit Eustathius pater noster huic Ismaelitae: « Memento iurisiurandi tui, quod dixisti de servandis sabbatis et diebus festis ». Et rursus dixit ei hic Ismaelita: « Ite hodie longius ». Et respondit iis Eustathius beatus: « Neque manum neque pedem le-
10 vabo die sabbati, neque ibo per viam; melius est mihi ut moriar hic ». Et cum vidisset hic Ismaelita eum recusare sibi, reliquit eum et, camelis oneratis, conscendit et profectus est itinere suo. Surrexerunt alii monachi et secuti sunt eum. Et Eustathius, pater noster, magister, et abbas Gabra-Amlāk et
15 discipuli eorum manserunt soli in loco, nam maluerunt mori verbi Dei causa in terra deserta; audierunt enim verbum Dei, *dicens: « Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu aut
20 filius tuus aut filia tua, aut iumentum tuum, aut advena, qui est apud te. Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit die septimo [1] ab universo opere quod patraverat, [2] et idcirco benedixit Dominus diei septimo et sanctificavit eum ». [3] Etiam memor erat
25 Mār Eustathius verbi Ieremiae: « Haec dicit Dominus: ' Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem bracchium suum, et a Domino recedit cor eius. Et benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius '; [4] non confundet eum, et audiet eum ab eo invocatus et iuvabit eum ».
30 Et post haec precatus est Eustathius pater noster Deum et dixit: « Domine mi Iesu Christe, qui creavisti caelum et terram primo die, et qui perfecisti omnia sexto die, et qui requievisti septimo, audi deprecationem meam hodie et ostende potentiam tuam in hunc Ismaelitam, qui improperavit tibi ». Et audivit
35 Deus deprecationem eius et accepit rogationem eius. Et cum possessor camelorum progressus esset unum stadium (mĕʿĕrāf),

f. 33.

[1] *Exod.*, XX, 8-11. — [2] *Gen.*, II, 2. — [3] *Exod.*, XX, 11. — [4] IEREM., XVII, 5-7.

descendit de caelo Michael archangelus, flammeum gladium manu
f. 33 v. tenens et stetit in *via qua ille gradiebatur, sicut fecit quondam
in magum Bileam, cum is adscenderet ut malediceret populo
Israel: eum videns asina trepidavit coram angelo et abnuit ire.
Pariter, cum vidissent eum cameli huius Ismaelitae, metuerunt 5
angelum Dei et abnuerunt ire. Verberabat eos hic Ismaelita, et
voluit occidere eos. Et cum perturbavisset eos angelus sua terribili
specie, cameli se converterunt retro, salientes ut agnae sugentes
lac. Et venerunt ad Eustathium patrem nostrum et demiserunt
suas aures et caudas et in genua lapsi, adoraverunt hunc 10
sanctum. Et Ismaelita possessor camelorum, invitus reversus est
flens. Et se demisit ante Eustathium patrem nostrum et adoravit,
et dixit ei: « Ignosce mihi, pater honorate, nam peccavi tibi, sit
pretiosa anima mea apud te hodie ». Et hic abbas mitis corde
ignovit ei et non reddidit ei secundum opera eius. Et post 15
haec, conscendit in equum hic Ismaelita, et vectus est ad aquam,
ut bibere daret equo suo; et obviam fuerunt ei ibi viri sanguinum.
Et videns cognovit eos et revertit; et incitabat valde equum
suum, ut fugeret ab eis. Et persequebantur eum hi VII hostes
eius, insidentes equis, ut occiderent eum. Et praecucurrit eos hic 20
Ismaelita et cum pervenisset ad Eustathium patrem nostrum, se
f. 34. prostravit ad pedes *sancti et dixit: « Pater, confugio in precatione
tua a furore hostium meorum, qui quaerunt occidere
me; nam vidi ante haec, pater, miraculum et ostentum quod
fecisti in me et in camelis meis. Cognovi precationem tuam 25
firmam esse et omnia posse assiduam ». Et hostes eius apparuerunt
repente, insidentes equis, et certo consilio capto eum
occidendi. Et cum vidisset Eustathius pater noster eos appropinquare
ad se, considentes equis et sine misericordia, obsignavit
eos signo crucis Christi. Et obstupuerunt equi eorum, 30
et non movebantur omnino, neque ad dexteram, neque ad sinistram.
Et neque ire protinus, neque reverti rursus potuerunt,
nam vincti erant precatione Eustathii patris nostri. Cum ii
insiderent equis, neque descenderent humi, clamabant et lamentabantur,
dicentes: « Pater honorate, utrum es Rabbi, an 35
servus Rabbi? Miserere nostri, pater sancte, mitis corde, ut
Deus tuus; veniat nobis hodie auxilium precationis tuae, nam
confugimus ad te ». Et cum sanctus vidisset eorum lacrimas,

misertus est eorum, et denuo obsignavit eos signo pretiosae crucis suae. Et ierunt equi suo more et consuetudine, currentes. Et descenderunt hi homines de equis suis, et in genua procubuerunt ante Eustathium patrem nostrum, dicentes: « Miserere
5 nostri, serve Dei ». Et hic beatus, misericors et clemens ut eius *Magister, fecit pacem inter eos et hunc Ismaelitam, et reconciliavit eos et removit eorum inimicitiam. Et completum est super eo verbum Evangelii: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ». [1]   f. 34 *v.*

10 Cum deinde praeteriissent sabbata, profecti sunt per iter suum Eustathius pater noster et hi monachi, et Michael archangelus ducebat eos. Et venerunt in terram Noba (Nubiam). Cum rex Noba audivisset venire Eustathium patrem nostrum et ingressum esse in fines regni sui, surrexit et collegit
15 suum exercitum et ivit ut exciperet eum. Et priusquam iret, audivit nuncium, insecutas esse se copias infidorum et dolosorum ut leones rapaces, cogitantes perdere suam regionem. Rex Nobarum fuit bonus et orthodoxus, et credebat in lignum crucis Christi. Nomen eius Sab'a-Nol arabice, ge'ez autem
20 Weluda-Ityopiā. [2] Et mater eius erat bona et vestita fide, nam accipiebat egentes et pauperes et monachos, qui iter faciebant ad sepulcrum Domini nostri Iesu Christi. Et lavabat eorum pedes et bibebat de hac aqua, in fide, nam precationibus eorum concepit et peperit hunc regem, et propter haec
25 nominavit eum Sabʿa-Nol. Et post haec, misit rex Sabʿa-Nol unum de suis aulicis ad *Eustathium patrem nostrum, nuncium dicentem: « Gloria adventui tuo, pater probe. Veni ad te, ut exciperem te. Convenerunt adversus me populi infidi et copiae malae, cogitantes exstinguere regionem meam. Et horum causa   f. 35.
30 redeo, ut pugnem cum iis. Pater honorate, memento mei in precatione tua, et precare Dominum Deum, ut det mihi vim et victoriam in hos infideles et improbos, quorum leges et mores sunt putidi. Et si reversus ero prospere cum signo victoriae, tunsa cornua et ferreas tubas, intentas pelle bovina, quibus laudantur
35 hi infidi, pater honorate, dabo tibi ad lavandas manus et pedes tuos ». Et cum audivisset Eustathius pater noster regiam legationem ex ore satellitis (waʿāli), miratus est fidem eius et as-

[1] MATTH., V, 9. — [2] Non intelligo.

sidue precatus est pro eo. Et profectus est rex contra copias infidorum, ut necaret eos. Et erat numerus eorum circiter milia quattuor. Et exiit rex in proelium cum quattuor militibus suis equitibus, et uno homine, qui portabat ante faciem regis crucem Christi, Salvatoris nostri. Et circumsteterunt regem copiae firmae a dextra et a sinistra, ab agmine novissimo et primo. Et tum apparuit regi Eustathius pater noster in flamma, caelum inter et terram, sedens in curru lucifero incorporali, et iuvavit *in caede regem Sab'a-Nol, qui confidebat precationi eius. Et cum dixisset Eustathius pater noster, clamans clara voce: « Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius », [1] fugerunt infidi qui ad orientem. Et denuo dixit: « Expugna, Domine, impugnantes me », [2] et dissipati sunt ii qui stabant ad occidentem. Et cum dixisset tertium: « Eripe me de inimicis meis, Deus meus », [3] ceciderunt ii qui erant ad meridiem; cum autem dixisset quartum: « Quis similis erit tibi », [4] dissipati sunt ii qui stabant ad septentrionem. Et occidebat rex hostes suos ab aurora ad solem occidentem. Et cepit homines eorum et egit praedam pecus eorum. Et vicit eos vi precationis illius. Et propterea miratus est factum Eustathii patris nostri rex, nam videbat eum flagrantem in curru inter caelum et terram. O virginitas Eustathii patris nostri, vitio vacans! O sanctitas Eustathii patris nostri, malo vacans! O amor habitans in Eustathio patre nostro, sine vitio! Fecit eum volantem curru lucifero. Mirabilis est Deus in sanctis suis! Fecit mira in Eustathio patre nostro. Et perduxit rex Sab'a-Nol hoc g a b ā g b ā t a (?) ad Eustathium patrem nostrum et dixit ei: « Pater, accipe haec, quae ab hostibus meis cepi et tibi attuli, ut lavares in iis manus tuas, nam videbam precationem tuam assiduam et firmam esse.

(f. 35 v.)

Et eodem modo iuvet et servet
filium suum Ionatham, ab omnibus adversariis eius,
cum scriba eius; dextra sua protegat eum cito,
nam viro iusto fit quod dicit,
et nihil est quod non possit.
In saecula saeculorum. Amen.

[1] *Ps.* LXVII (LXVIII), 1. — [2] *Ps.* XXXIV (XXXV), 1. — [3] *Ps.* LVIII (LIX), 1. — [4] *Ps.* LXXXII (LXXXIII), 1.

*Et post haec, surrexit sanctus et profectus est in iter suum. f. 36.
Et cum appropinquaret adventui Ierusalem, edocebat filios suos et dicebat iis: « In regione in quam imus, mali sunt reges et nefariae gentes; christiani autem qui habitant hanc ter-
5 ram, ut mulier gravida quae propinqua est partui in doloribus, vivunt in vexatione ». Et iterum dixit iis Eustathius pater noster filiis suis: « Fidem Trinitatis ante reges infideles declarate et dicite de natura Patris, natura Filii et natura sancti Spiritus. Illi sunt ante saeculum sine initio, et usque ad saeculum sine
10 fine: unum Numen perfectum sine adiectione aut deminutione, tria nomina et unus Dominus, tres Personae et una species, tres naturae et una substantia. Filius est sol, Pater est sol et Spiritus sanctus est sol: Illi sunt unus sol iustitiae verus, perpetuo splendens super sanctos. Pater est lux, Filius est lux et
15 Spiritus sanctus est lux: Illi sunt una lux fidei, quae non obnubilatur et quae lucet perpetuo in cordibus fidelium. Erat ante initium diei et horae, ante tempora et annos. Non est existentia primi prior secundo, neque existentia secundi *prior ter- f. 36 v.
tio, ne spatio quidem temporis cursus fulminis, aut complosionis
20 alarum aquilae. Iuncti sunt sine mixtione et mixti sunt sine divisione; in specie Trinitatis repraesentantur, et iuncti sunt unione; aequales sunt natura, coniuncti sunt gloria et splendore. Pater non peperit Filium ante creationem mundi auxilii causa creandi, existentia Spiritus sancti est non ad expendendum
25 pro arte et labore. Non maior est potentia Patris, quam potentia Filii, et non minor est virtus Filii, quam virtus Patris, et non humilior est virtus sancti Spiritus quam virtus Patris et Filii. Haec est una virtus. Hic est Creator angelorum et hominum, una voce et uno spiritu. Hic est Creator caeli et terrae, Creator ma-
30 rium et abyssorum. Hic est Creator solis et lunae et siderum, uno consilio et una voluntate. Creavit Adam ad imaginem suam et similitudinem, et praefecit eum omni creaturae et collocavit in solio regni, et gloria et honore ornavit eum. [1] Non est alius Deus praeter illum in caelo et in terra. His nomi-
35 nibus Patris et Filii et sancti Spiritus publice in aulis regum infidorum praedicate, et tolerate exilia et pericula pro sancta Trinitate. Nolite timere ardentem ignem, et nolite trepidare co-

[1] Cfr. *Ps.* VIII, 6.

ram acie gladiorum aut hastarum, aut iactu lapidum aut gravitate vinculorum. Spectate antiquos patres, quomodo se servaverint e morte, neque tetigit *corpora eorum flamma ignea. Sicut illi malimus omnes mortem et firmemus corda nostra fide sanctae Trinitatis. Qui adiunxerit aliquid ad hanc Trinitatem, aut detraxerit de illa, sit excommunicatus ore Trinitatis. Nihil est nobis melius quam amor Trinitatis, moriamur amoris Trinitatis causa, ut vivamus virtute Trinitatis, nam sigillum vitae est haec Trinitas ».

f. 37.

Cum his verbis doceret et instrueret discipulos suos Eustathius pater noster, pervenit in urbem Alexandriam, et ivit ad thronum Marci Evangelistae et accepit ab eo benedictionem. Et posthaec profectus est ad patriarcham, abbatem Beniamin, et iverunt cum eo XII discipuli eius, qui intraverunt ad eum et coram eo steterunt, et adoraverunt eum et osculati sunt eum osculo spiritali. Is benedixit eis in amore et pace. Et viderunt eos monachi, qui advenerant cum eo ex Aethiopia; invidebant autem ei et calumniati sunt eum ante patriarcham, dicentes: « Audi, pater noster: hic Eustathius et filii eius dissentiunt a nobis moribus: colunt Iudaeorum sabbatum, neque manducant carnem, neque bibunt vinum et siceram, et praeterea iis sunt multae abstinentiae ». Et patriarcha, cum audivisset haec verba a monachis advenis, dixit Eustathio patri nostro: « Utrum vera sunt verba dicta ab his monachis, an falsa? » Et respondit Eustathius pater noster et dixit patriarchae: « Tibi locuti sunt contra me hi monachi. Ego autem *credo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem perfectam, et agnosco doctrinam verbi prophetarum et apostolorum sanctorum, et inclino collum meum sub iugum Evangelii Domini mei Iesu Christi; opes meae et possessio mea est verbum Dei, et abest falsum a fide mea ». Et cum audivisset verbum eius patriarcha, miratus est eloquentiam oris eius et dulcedinem sermonis eius, et dixit ei: « Esne particeps nobiscum in prece et in communione Eucharistiae? » Respondit Eustathius pater noster patriarchae: « Consocia me tibi in verbo scripti, quod hauritur ex ore apostolorum sanctorum; nam ipsi dixerunt: ‘Si quis recedit a canonibus sanctae Ecclesiae, extrudetur foras a diacono, ut alii, videntes, timeant’ ». Dicebat iterum de celebrandis duobus sabbatis, ut scriptum est digitis Dei

f. 37 v.

in sancto decalogo: « Memento ut diem sabbati sanctifices ». Et insuper ei dicebat et tradidit quae dixerat Angelus faciei Moysi in libro Iubilaeorum: « Iubilaeus iubilaeorum, in quo sabbata celebramus in caelis, antequam numerus iubilaei iu-
5 bilaeorum sit communicatus omni carni, et omnis qui servabit eos et sabbata celebrabit absque ullo in iis opere, erit sanctus et benedictus, ut et nos, omnibus diebus et omnibus temporibus ».[1] Deinde exposuit, quae dixerunt Petrus et Paulus, summi patrum apostolorum in suo Synodo: « Maneant in quiete
10 sabbato et dominica omnes fideles, viri et mulieres ». Haec omnia et his similia narravit e scriptis prophetarum et apostolorum coram patriarcha et toto populo. *Et dixit Beniamin abbas: f. 38.
« Sermo tuus est suavis; capias partem nobiscum in prece et communione sacrorum mysteriorum ». Et dixit Eustathius pater
15 noster patriarchae: « Veni in vestram regionem, sciens esse in ea gladium et cultrum, et propterea audacter veni, ut moriar verbi Dei gratia, nam non invenio quietem in mundo hoc. In Aethiopia dictum est mihi: 'Viola sabbata et dies festos, ut nos,' et non obedivi. Hic mihi dicitis: 'Capias partem nobiscum
20 in prece' cum dies festos non observetis ». Et cum vidisset patriarcha sermonem[2] oris eius, qui erat dulcior quam mel et saccharum, et pretiosior quam aurum et argentum, miratus est et obstupuit et dixit: « Vere, vere hic sacerdos cinctus est duobus gladiis sancti Spiritus, et quis obsistat huic sacerdoti,
25 et quis pedem ponat in cuspide gladii? Nam totus inflammatus est igne fidei ». Et tunc advocavit patriarcha Eustathium patrem nostrum, cepit manum eius, benedixit ei et eum collocavit secum in throno. Episcopi autem et sacerdotes sedebant in suis sedibus circum eum, diaconi autem ritu stabant et am-
30 bulabant, servientes eius verbo. Et Eustathius beatus pater noster memor erat verbi Evangelii quod dicit: « Qui se exaltat, humiliabitur »;[3] et recordatus est verbi Salomonis: « Omnia facta summissi placent *Deo ». Haec verba intelligens Eusta- f. 38 *v.*
thius sanctus, descendit e throno patriarchae et consedit in
35 sede sacerdotum. Et cum vidisset modestiam eius patriarcha, miratus est maxime et obstupuit in mente ob modestiam Eustathii sancti; et denuo ter vocavit patriarcha et collocavit in

[1] Cfr. *Kufalē*. p. 3. — [2] Ad verbum: « apertionem ». — [3] Luc. XVIII, 14.

suo throno ter, terque descendit de throno patriarchae Eustathius sanctus, nam memor erat verbi, dicti a patribus sanctis, qui aspernati sunt hunc mundum caducum: « Fugias gloriam timeasque dignitatis magnitudinem ». Et post haec dixit Eustathius pater noster patriarchae: « Nonne verum est hoc verbum apostolorum quod accepi, ut id facerem et irem secundum id, pater mi honorate, nam delector eo, et verbo tuo iubeas me ». Et dixit patriarcha: « Quo modo potuisti unus ferre et servare praecepta et doctrinas apostolorum, quae relictae sunt ab antiquis diebus; nam multi patres, qui erant ante nos, ante me et te, non potuerunt servare ea et explere ea, difficilia enim sunt praecepta et instituta patrum apostolorum sanctorum ». Et dixit Mār Eustathius, egregius opere, patriarchae: « Pater probe, benedic mihi; nam auxilium precis tuae firmum et potentem me reddet; cupio enim facere *iussum Dei Domini mei; precare pro me et benedic mihi ». Et dixit patriarcha abbas Beniamin: « Sis benedictus benedictione caelorum et terrae, et benedictione angelorum Dei, benedictione prophetarum sanctorum, quorum leges quaesivisti, et benedictione apostolorum missorum ad annunciationem pacis in omnes fines orbis terrarum, quorum regulas amavisti et quorum semitas itinerum secutus es, laborans et tu ipse ut illi. Donum auxilii eorum et multae gratiae eorum protegant te. Et exardescat in facie tua splendor lucis eorum, et quiescat in liberos tuos ex hoc tempore usque ad saeculum. Amen ». Et denuo dixit patriarchae: « Pater, benedic mihi et liberis meis, qui sunt in terra Aethiopiae ». Et dixit ei patriarcha: « Benedictio iustorum perfectorum et benedictio martyrum certatorum quiescat in eos et firmet eos, neve esuriant ii, neve sitiant, neve indigeant ullo bono quod petiverint ex hoc tempore et in saeculum. Amen ».

Et hac benedictione a patriarcha accepta, osculatus est eum et valedixit ei; et exiit ab eo in pace, et profectus est per viam suam. Et post haec nunciatum est Eustathio patri nostro patriarcham Armeniae pro nomine Christi expulsum esse et in urbem Alexandriam venisse. Et cum audivisset haec Eustathius pater noster, surrexit ut iret ad eum, ut cognosceret vitam eius et cognosceret facta eius.

*Is Eustathius pater noster flos fidei,

qui crevit in horto sponsae [1], qui tulit uvam benedictionis
in vinea prophetarum et apostolorum. [rigatus,
quattuor fluminibus egredientibus e throno Dei exercituum ir-
ut dixerat Ezechiel, qui comedit volumen ut panem: nam de
5 [templo egreditur aqua,
et bibentes de ea sunt pingues et potu satiati,
hilares et laeti, fructuosi et florentes sunt,
et qui purgantur ea sunt puri et purgati [2].
Et ea lavatus, Eustathius pater noster strenuus,
10 tuba Ecclesiae, [postquam quaesivit eum,
tulit frugem tricies, sexagies et centies [3] in iussis Creatoris sui,

Et cum Eustathius pater noster via iret, explicabat suis filiis multas similitudines et interpretationes e verbis Veteris Testa-
15 menti sacri, et sapidam reddidit uvam sanctificationis, sanator ex Evangelio regni, quod est perfectio omnium scripturarum, ut servarent legem et quaererent instituta Dei Altissimi coram omnibus populis. Et euntes Hierosolyma ad adorandum, Eustathius pater noster et filii eius venerunt in terram deserti asperi
20 et angusti.

Audite, congregatio sanctae Ecclesiae, electi, filii Sion honorati et benedicti, qui amavistis auditionem laudationum Eustathii, sacerdotis, margaritae lucis, et narrabo vobis cetera eius certamina, quae certavit in deserto Sceti (A s q ē ṭ e s), monte
25 Eliae.

*Cum rustici, qui vivebant in deserto Scetensi (A s q ē ṭ e s), f. 40. dolebant et in periculis versabantur, reverterunt in terram Aegypti, et mansit solus Zacharias (Z e k e r y ā). Volebat et is abire in terram Aegypti, et apparuit ei angelus Dei et dixit
30 ei: « Noli redire in Aegyptum, nam cras, prima luce, adveniet monachus nomine Eustathius; ille est magnus sacerdos terrae Aethiopiae, et it ut iustitiam quaerat ». Cum audivisset haec a Deo Zacharias, gavisus est gaudio magno, et postero die advenit Eustathius pater noster ad eum, et cum eo XII disci-
35 puli eius. Et ille more monachorum ianuam pulsavit. Cum audivisset Zacharias voces monachorum, timuit et tremuit, cogitans venire rusticos, et latuit introrsus. Et iterum pulsaverunt

[1] Scilicet Ecclesiae. — [2] Cfr. EZECH., XLVII. — [3] Cfr. MARC., IV. 8, 20.

ii: ille autem maiorem concepit timorem et cogitavit se occisum iri a maleficis. Et pulsaverunt tertium, et tum adscendit sursum in superiorem contignationem, ut inspiceret. Et vidit Eustathium patrem nostrum cum discipulis eius. Et recordatus est verbi angeli et gavisus est, et aperuit ianuam et induxit eos introrsus, et osculatus est eos; et protulit iis tabot Eliae, quod erat hic, in spelunca saxi, et dixit iis: « Ibo in terram Aegypti, ut afferam vobis alimentum ». Et propere profectus est et protulit iis panes paxamas [1] siccos. Et dedit eos Eustathio patri nostro, et hic benedixit hos siccos panes et facti sunt calidi et molles. *Et mirati sunt Zacharias et discipuli Eustathii patris nostri et laudaverunt Deum. Et post haec exsurrexerunt mali homines adversus Eustathium patrem nostrum propter legem et praeceptum. Et dixit Zachariae: « Affer mihi vincula ferrea, vincula colli et vincula pedum ». Et attulit Zacharias haec vincula et portavit ad Eustathium patrem nostrum; et dixit ei beatus: « Pone ea sub sole, ut calefaciat ea », et ille fecit iussum eius. Et cum sol calefecisset vincula, dixit: « Affer mihi haec vincula ». Et tum catenis vinxit suas manus et pedes et collum. Et decessit cutis e collo eius, et dirupta est cutis eius manuum et pedum, et totum corpus eius simile factum est piscis tosti. Et haec omnia tolerabat amoris Dei causa; nam memor erat passionum Domini sui, et suppliciorum martyrum: quomodo toleravissent dolores et vexationes amoris Christi causa. Et stabat Eustathius pater noster quadraginta dies et quadraginta noctes in precatione, et non edebat panem, et non bibebat aquam, et non iacebat in latus suum. Et non dabat somnum oculis suis nec palpebris suis dormitationem, et perfectum est in eo verbum David: « Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Dei Iacob [2] ». Cum filii Eustathii patris nostri profecti essent in agrum palmarum, iis obviam venerunt rustici qui ceperunt et abduxerunt eos in desertum interius. *Et narravit Zacharias Eustathio patri nostro cepisse Arabes discipulos eius. His auditis, dolebat et moerebat; et dixit Zachariae: « Affer mihi iterum vincula calefacta sole ». Et catenis vinxit

f. 40,v.

f. 41.

[1] *Pakuesimā* = παξαμᾶς, ὁ δίπυρος ἄρτος (SUIDAS a DILLMANNO citatus in *Lexico*, p. 1252). — [2] *Ps.* CXXXI (CXXXII), 4-5.

suas manus et pedes. Et accepit Deus precationem eius et misit ad Eustathium angelum qui dixit ei: « Noli affligere animam tuam, sancte Dei, nam tertio die revertentur ad te filii tui ». Et ad hos Arabes misit Deus malum daemonem, plenum irae, 5 qui dissociavit eos et fecit inter eos dissensiones; et occiderunt alii alios, et mortui sunt ex eis sex firmi viri. Et apparuit Eustathius pater noster filiis suis, cum essent captivi. Cum vidisset eum Theodorus et omnes fratres eius, perturbati sunt animo et cogitaverunt captum esse patrem suum; et dixerunt hi 10 Arabes: « Horum sanctorum causa inciderunt inter nos dissensiones et caedes ». Et remiserunt eos, qui reverterunt ad patrem suum. Et vidit eos Zacharias procul venientes, et dixit Eustathio patri nostro reverti discipulos eius. Et hic gavisus est et gratias egit Deo. Illi autem venerunt ad eum et invenerunt 15 eum stantem in precatione; et vincula ferrea erant in corpore eius, lacrimae eius fluebant ut aqua, et madefaciebant vestem eius. Et cum vidissent patrem suum moerentem animo eorum causa, exclamaverunt et lacrimaverunt, et fleverunt *magno fletu, et dixerunt: « Solve vincula tua, ut requiescas aliquantu- 20 lum ». Et respondit iis sanctus: « Liberi mei, gratias agamus Deo qui collegit nos post dispersionem, et propter omnia bona quae fecit nobis. Non autem solvam vincula mea, donec ad finem perduxero votum meum ». Et stabat vinctis manibus et pedibus, et collo vincto collari ferreo. Et per XL dies et XL 25 noctes mansit in oratione, stans, neque edens panem neque bibens aquam. Et tolerabat famem et sitim, et ferebat clausa vincula, memor verbi Pauli Apostoli: « Ego vinctus Christi Iesu [1], et praedicator nominis eius, et stigmata eius in corpore meo porto [2] ».

f. 41,v.

30 Et volebat Eustathius pater noster consedere in deserto Scetensi, sed apparuit ei Domina nostra Maria et collocuta est cum eo dicens: « Hoc Scetense desertum dedi Macario et Iohanni Cama; tu autem, dilecte mi et dilecte Filii mei, i in terram Armeniam ad ecclesiam in nomine meo aedificatam ». Et his dictis 35 ab eo evanuit. Et divulgata est fama bonitatis et certaminum Eustathii patris nostri per totam terram Aegypti, Alexandriae et in Scete.

[1] *Ephes.*, III, 1. — [2] *Gal.*, VI, 17.

Et surrexit et abiit inde, et in itinere explicabat filiis suis verba prophetarum et apostolorum. Et venit in urbem Ierusalem, et ivit ad episcopum qui erat ibi, et osculatus est eum, narravit ei de actis suis et accepit ab eo benedictionem. Et profectus est ad sepulcrum Domini et adoravit et osculatus est 5
f. 42. id; *profectus est et Bethlehem, ubi ille natus erat, et in terram Nazareth, ubi erat educatus. Et ivit ad fluvium Iordanem, ubi baptizatus erat Dominus noster, et mersus est in eo cum filiis suis. Tum viderunt filii Eustathii patris nostri, eo tempore quo mergebatur in aqua nudus, carnem eius siccam cum 10 ossibus eius et corrugatam cutem ventris, vultum autem splendentem ut solem, et velut si vesceretur vitulo opimo et biberet vetus vinum, nam abundans erat in eo gratia Dei. Et cum vidissent filii eius maciem corporis eius et coxas eius quasi sculptas, et totum eum corrugatum et maceratum esurie 15 et siti et nocturna pervigilatione, omnes lacrimaverunt et dixerunt ei: « Pater, edas parvum frustulum panis et bibas aquam, ut madefacias linguam tuam et conspergas guttur tuum siccatum propter magnam esuriem et sitim; nam ecce tota caro tua evanescit et corrugata est, quasi (caro) mortui, tibi 20 enim tantum venae et ossa, intenta cute, et spiratio *tua* est in te [1]. Et cum spectamus vultum tuum laetum, cogitamus te vivum esse. Et cum hodie vidissemus te nudum, et consumi totam carnem tuam, mersi sunt animi nostri in dolore. Pater! fruaris paullo panis ad firmandum corpus tuum, ne moriaris su- 25 bito, cum quo voluisti nondum perveneris. Pater, pater, vide lacrimas nostras, respice precationes nostras et specta nostrum fletum, et requiesce in tuo strato, relaxare ab his tuis certaminibus, ut possis docere et instituere tuum gregem. Si mor-
f. 42,v. tuus hic eris, *pater noster, erimus orbi, vagantes per terram 30 alienam, ut grex quem reliquit pastor. Si ambierimus orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, non inveniemus magistrum similem tibi, qui doceat bonum discipulos suos, et facit quod docet. Docebas iter Dei sine hypocrisi, neque personas respiciens ». Respondit iis Eustathius sanctus et dixit iis: 35 « Nolite dolere et moerere, liberi mei, nam non moriar antequam quo in animo habeo, pervenerim, quia non mea voluntate

[1] Cfr. *Ascens. Ies.*, VI, 12

proficiscor, sed voluntate et benevolentia Dei, qui misit me. Et aegritudo corporis ne sit vobis dura, liberi mei; nonne audivistis, quae dicit Paulus: « 'Si sustinebimus, et conregnabimus[1]: id enim quod in praesenti est momentaneum et leve
5 tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis '[2]. Et praeterea dixit Apostolus: 'Modicum passos ipse perficiet, confirmabit '[3], ut dixit Henoch: 'Deprimentes carnem suam, praemio accipient bonum a Deo[4] ' et propterea non peperci deprimendae carni meae ».
10 Et surrexit inde et ivit in terram Armeniam, ad illum patriarcham expulsum propter legem Apostolorum. Et vidit visionem Eustathius pater noster in itinere et narravit discipulis suis, et dixit iis: « Ista aurea patera, quae erat in Aethiopia et de qua iussi ne in sacris ministeriis usurparetur, fracta est, quia
15 verbum meum transgressi sunt ». Spectate, dilecti mei, *gratiam, quam dedit Deus Eustathio patri nostro, ut sciret, quae agerentur in Aethiopia, cum esset in terra Armeniae. Et deinde, progrediens itinere, Eustathius sanctus dixit filiis suis: « Unus e vobis peribit in mari; timete Deum ». Et cum audivissent
20 hoc ab Eustathio patre nostro, invasit eos timor et trepidatio et dixerunt ei: « Dic nobis palam, quis nostrum periturus sit? » Et respondit iis Eustathius sanctus: « Cum tempus advenerit, cognoscetis ». Et post tres dies, auditus est strepitus maris 'Iyārico[5], ut tonitrus. Et timuerunt filii sancti et
25 reverterunt duo ex eis propter magnum terrorem maris 'Iyārico; beatus autem Eustathius constans fuit animo, memor verbi Pauli: « Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: 'Quia propter te
30 mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.' Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Nemo potest separare nos a Christo, Domino nostro: neque mors, neque vita, neque re, neque verbo[6] ». Et deinde precatus est Eustathius pater noster Deum et dixit: « Iesu Christe, Fili

f. 43.

[1] II Tim., II, 12. — [2] II *Corinth.*, IV, 17. — [3] I Petr., V, 10. — [4] *Henoch*, cap. CVIII, 16 (ed. Flemming). — [5] Sic in libris aethiopicis (ut *Miracula Mariae*, etc.) Mare Mediterraneum appellatur. Nomen ex Illyrico corruptum, e versione aethiopica actorum apostolorum Andreae et Bartholomaei haustum esse videtur. — [6] *Rom.*, VIII, 35-39.

unigenite, aeterne, iuva me cum Patre tuo et Spiritu tuo sancto vivifico, et noli separare a me hos duos filios meos ». Et pervenit precatio eius et supplicatio eius ad Deum; et ivit sanctus f. 43,v. in mare *'Iyārico, et cum eo erat tum Zacharias cum discipulis eius qui ibant, ut comitarentur eum, et ii duo discipuli, 5 qui fugerunt timoris maris causa. Et reverterunt hi ad patrem suum, priusquam in mare ingrederetur. Et gratias egit Deo; et humiliter adoravit potentiam virtutis eius, nam tribuit ei quae optabat sicut rogaverat. Et invenit ibi Eustathius sanctus navem, dum ornant eam nautae ad navigandum. Et ro- 10 gavit nauclerum, ut acciperet se in navem suam. Et dixit ei nauclerus: « Da mihi ea quae debetur mihi, sin aliter, non permittam te ascendere in navem meam ». Respondit Eustathius sanctus: « Non habeo res aut bona aut aurum aut argentum, nam sum discipulus Iesu Christi, et eo ut quaeram et faciam 15 voluntatem Dei mei ». Et exorabat nauclerum, et hic non admittebat eum et non permittebat conscendere navem. Et cepit tum Eustathius pater noster suam vestem et ter convolvit eam. Et obsignavit faciem suam signo crucis, et prostravit vestem suam in mare, et conscendit in eam cum discipulis suis. Et apparue- 20 runt duo angeli, qui gubernarent eum pro nautis: alter a dextra, alter a sinistra; Dominus autem noster, ut nauclerus, agebat eos per mare, nam ille non abit a servis suis et semper est cum iis. Et cum vidissent nautae et nauclerus Eustathium abbatem conscendisse in suam vestem et ad sinistram a nave currere per 25 f. 44. mare, dixerunt ei: « Quis es, *et quanta fides tua, et quanta bonitas tua, et quanta potestas tibi data est! ut curras per mare sine nave et non demergaris? » Et respondit Eustathius pater noster et dixit iis: « Fides mea et bonitas mea Christus, cum Patre eius et Spiritu sancto; haec est spes mea ». Et omnia 30 haec vidit et audivit Zacharias aethiops, dum comitaretur eum e deserto Scetensi. In Eustathio patre nostro perfectum est verbum Salvatoris nostri Christi, cuius memoriae debetur adoratio. Dixit in sacro Evangelio suo: « Qui credit in me, opera quae ego facio, ei ipse faciet et maiora horum faciet [1] ». Eodem 35 modo hic Mār Eustathius ibat per mare sine nave, et gubernabant eum Angeli, ut Andream apostolum, cum in terram anthro-

[1] IOHAN., XIV, 12.

pophagorum proficisceretur. Dominus est adiutor et fautor et dux, ut gubernator navis eius qui facit voluntatem eius.

Posthac fuit in mari IX dies et noctes, nam apud Deum dirigebatur iter eius. Et erant duo montes, circumdati mari.
5 Cum vidissent Eustathium patrem nostrum, sustulerunt sursum cacumina sua et dicebant alter alteri: « Praeveniam te, excipiens eum », et « Ante te exibo ad hunc servum Dei ». Et cum vidisset duos montes dicere alter alteri eo modo, obsignavit eos manu sua et vetuit verbo oris sui *ne ad se venirent, et dixit iis: « State f. 44,v.
10 in loco ». Et steterunt ubi erant, modo demiserunt sua capita. Et paruerunt verbo Eustathii patris nostri et non ierunt retro, quo erat eorum pristinus locus, ubi creati erant, neque protinus quo petebant, sed constiterunt in loco ubi erant, ut imperavit iis Eustathius pater noster, immobiles, neque se mo-
15 verunt inde usque ad hunc diem. Et perfecta sunt in eo dicta a Domino nostro in Evangelio: « Amen, dico vobis: si habueritis fidem, dicetis monti huic: transi hinc illuc, et transibit [1] ». Et vidit Zacharias hoc portentum et miraculum quod fecit Eustathius pater noster: quomodo iret per mare suo pallio, et quo-
20 modo surrexissent duo montes ei obviam. Et cum reversus esset Zacharias, narravit praestantiam eius terrae Aegyptiae et Alexandrinis et in deserto Scetensi. Narravit quoque Bartholomaeo et Stephano, duobus sacerdotibus; et audientes haec verba, mirabantur et laudabant Deum.

25 Et cum essent in medio mari, dicebat Eustathius sanctus discipulis suis: « Hoc mare erit ignis, ultimis diebus ». Et audierunt in hoc mari fletum, et gemitum, et clamorem, et eiulationem. Et interrogaverunt discipuli sanctum: « Quid est multus fletus quem audimus in hoc mari? » Et dixit iis: « Hae sunt animae
30 hominum. Et nunc reconciliemini proximis vestris, amoveatis ultionem e mentibus vestris, et tollatis malitiam e cordibus vestris ». *Deinde, cum esset sanctus cum discipulis suis, veste sua f. 45.
in mare pro nave expansa, discipulis autem eius gradientibus pedibus per mare, sicut per aridam, dixit iis: « Confortamini in
35 Deo et in potentia virtutis eius [2]. Et ferat quisque librum gremio suo, et erit vobis potentia verbi Dei ». Et cum erant in medio mari, cecidit unus in id et periit, ut praedixerat Eustathius

[1] MATTH., XVII, 20 — [2] *Ephes.*, VI, 10.

sanctus; et flebant eum monachi, et dixerunt: « Eheu nos, magister noster ». Respondit iis beatus: « Cur fletis hoc thesaurum falsi, latibulum serpentis Satanae? Plenum est cor eius iracundiae, invidiae, ultionis et doli. Et reliquit fidem, vestem sapientium virginum, lenitatem, castitatem cordis et mali oblivionem ». Et dixerunt ei discipuli eius: « Huius monachi os putruit ieiunio, et pedes tumuerunt quia multum stabat in precatione ». Respondit Eustathius pater noster et dixit iis: « Totus labor eius vanus est, nam non ignoscebat peccatis proximi sui. Et propterea non condonata sunt peccata eius ».

Et posthaec audita est fama praestantiae Eustathii sancti in tota insula Cypro; et erat in hac insula femina quaedam fidelis, nomine Azizā. Audito nuncio eius, dixit: « Monachi venerunt (f. 45,v.) *quaerentes verbum Dei, nolentes aurum et non solliciti de argento ». Et postea venit Azizā in templum, ubi erat simulacrum Dominae nostrae Mariae, et dixit: « Domina mea, accurro ad precationem tuam, ut monstres mihi facies horum monachorum, quorum famam audivi, ut benedicant mihi et domui meae ». Et Eustathius pater noster venit ad episcopum Cypri et accepit ab eo benedictionem et narravit ei facta et instituta sua. Cum esset ibi, venit ad eum Azizā fidelis et excepit eum cum discipulis eius et dedit ei commorationem, ubi erat eius opulentum granarium, et accepit eos acceptione benigna. Et erant cum ea virgines, quas docebat vestes pretiosas texere. Et adierunt eae sanctum et acceperunt ab eo benedictionem. Et laetabantur incolae Cypri Eustathio; senes et iuvenes, cum fideli Azizā et omnibus filiabus Cypri; nam splenduit in eos lux doctrinarum eius sicut sol. Et sanavit aegrotos eorum balsamo verborum suorum, quod est dulcius mele. Et deinde valedixit Eustathius sanctus hominibus Cypri, discessit ab iis et profectus est mari, cum suum pallium, quasi navem, conscendisset. Et cum veheretur, surrectione undarum non agitabatur, et fluctu maris non concutiebatur, nam lumbi eius cincti erant fune Evangelii, et ornamentum eius totum fuit (f. 46.) *apparatus fidei, in manu autem eius fuit signum crucis.

Et cum medio mari essent, flevit Eustathius pater noster et percussit manu ad manum. Et dixerunt ei filii eius: « Pater, quid est tibi? » Et dixit iis: « Columna magna cecidit in terra Aethiopiae ». Et interrogaverunt eum: « Quae columna? » Re-

spondit iis: « Amda-Ṣeyon, rex Aethiopiae, mortuus est hodie ». Mirati sunt filii eius et locuti sunt inter se: « Quale donum datum est ei, ut cognoscat secreta et sciat occulta! » Alii dixerunt: « Quod servavit virginitatem suam et purgavit se ab
5 impuritate muliebri »; alii dixerunt: « Quod ad extremam inopiam redactus est Domini exercituum causa ». Et dixit iis iterum Eustathius beatus: « Aurea patera fracta est in terra Aethiopiae! » Et dixerunt ei: « Pater, quid hoc significat? » Et respondit iis: « Diaconus lapsus est in fornicationem; om-
10 nium peccatorum pessima est fornicatio, nam est perniciosa et polluit animam et corpus. Beatus est qui ab ea se servavit et non delapsus est in libidinem ». Mos erat huic Eustathio beato omni vespere cotidie offerendi sacrificium. Et cum intrabat in templum profundebat sine intermissione lacrimas ex oculis,
15 donec exiret e templo. Et precabatur contrito corde et fervida anima, stans cum timore et trepidatione, sicut stat satelles in conspectu regis.

Iterum fecit Eustathius pater noster portentum et miraculum *auribus stupendum. Cum venissent ad littus maris prope ter- f. 46,v.
20 ram Armeniae et vellent descendere in illud, egressi sunt ex oppido Armeniae multi homines, pueri cadaver ferentes; et flebant fletu amaro, et ante et post cadaver, nam hic puer mortuus filius erat hominum nobilium. Qui eum ad sepeliendum portabant, viderunt Eustathium patrem nostrum, euntem
25 per mare, non cum solida nave, sed suo pallio, quod navis incorporalis, factum est precatione Mār Eustathii, veheretur. Viderunt quoque ante se alios, qui veniebant, navigantes nave more consueto. Hoc miraculo viso, desiverunt fletum et posuerunt cadaver in littus maris: cepit eos magnus stupor et
30 dicebant alii aliis: « Qui sunt hi euntes per dorsum maris sine nave. Non enim videmus apud homines ratem, neque nautam, qui vehat eos; utrum homines sunt hi, an Angeli; an imaginem inanem videmus? Avesne hae caelestes sunt, salientes super mare, quarum alas non madefacit humor abyssi! »
35 Et dum haec dicunt, advenit Eustathius pater noster cum filiis suis et in terram egressus est. Pallium suum reliquit in mari, ut testis sit in perpetuum. Cum vidissent Eustathium patrem nostrum hi homines lacrimantes, cucurrerunt ad eum certatim et adoraverunt eum et dixerunt ei: *« Quis es, pater? Non f. 47.

videmus navem vel ratem esse tibi. Vidimus in te opus inauditum: calcas mare eundo, sicut terram, et non madidi sunt pedes tui. Utrum Rabbi es, creator maris et terrae, an servus Rabbi? Dic nobis opera tua et artem tuam ». Et dum mirantur et obstupescunt isto modo, advenit dominus navis, qui olim non permiserat ei conscendere navem suam, et narravit iis de factis et praestantia Eustathii abbatis et de omnibus quae facta erant per eum; quomodo dixisset sibi de nave, et quomodo profectus esset mari pallio suo. Deinde profecti sunt ad cadaver, et Eustathius pater noster ivit cum iis, ut videret et cognosceret quae fiebant. Erat magnus conventus et volebant sursum cadaver cum feretro tollere, ut ad sepeliendum portarent. Et dixit iis hic Eustathius sanctus: « Relinquite illud; paullum iaceat ». Et constitit ad caput pueri, et convertit faciem ad orientem, et expandit manus suas ad caelum et precabatur, dicens: « Domine, Iesu Christe, audi precationem meam et supplicationem meam. Tu enim es qui audivisti precationem Eliae, cum ad vitam revocavit filium viduae, quae nominabatur Sarephta [1]; nam tu et hodie (idem) es ». Et talia dicens, posuit carnem suam super carnem huius pueri, et expandit manus suas super manus eius et pedes suos super pedes eius, et applicuit oculos suos oculis eius et nasum naso eius, (f. 47,v.) *et os ori eius, et immisit salivam suam in linguam eius, et suspiravit et inspiravit in eum ter, et obsignavit eum signo crucis, dicens: « Domine, Iesu Christe, vestis sanctorum et rex iustorum, lumen quod non exstinguitur, lux cui non appropinquant tenebrae! potestate tua surgat puer hic mortuus, et intellegant populi te esse Deum unum tota terra ». Et cum finisset suam precationem, aperuit oculos suos hic puer et vidit Eustathium sanctum, et surrexit propere et flexis genibus adoravit eum, dicens: « Sit pretiosa anima mea in oculis tuis! » Iussit apponi ei quod ederet. Cum populus collectus vidisset hoc miraculum, omnes elevaverunt voces suas unanimiter et exclamaverunt et dixerunt: « Magnus propheta surrexit nobis et novus Apostolus, qui facit mirabilia, venit ad nos! » Et talia dicentes, delapsi sunt humi et adoraverunt vim sanctitatis eius et pulverem pedum eius lingebant [2].

[1] Sic! — [2] Is., XLIX, 23.

Et manavit fama eius per totam Armeniam. Et exiit episcopus Armeniae obviam ei cum omnibus sacerdotibus et diaconis et fidelibus, viris et mulieribus et pueris, qui saltabant canendo, sacerdotes et diaconi cum turibulis et aspergillis et lucernis,
5 canentes et laudantes Eustathium sanctum, qui nolebat gloriam mundi huius nec vanam laudationem, memor verbi Tobit: « Fili, noli superbire, quoniam in superbia perditio est[1] ». *Et cum vi- f. 48.
disset se honorari ab incolis oppidi, demisit caput suum et dixit iis: « Nonne audivistis quae dixit David propheta: ' Ego sum
10 vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis '[2]; et iterum dixit: ' Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem, et quis eruet animam eius de manu inferi? '[3]. Hic reditus mortui in vitam et haec potestas sunt non mei, sed Iesu Christi, Domini mei, qui quem vult mortificat et quem vult vi-
15 vificat, et quem vult honorat aut ignominia afficit, quem vult castigat aut veniam dat (ei), et quem vult pauperem facit aut ditat; potestas caeli et terrae est in manibus eius, et omnia aperta sunt ei, nihil eum latet ». Et cum incolae oppidi vidissent, mirati sunt eius modestiam, magis etiam honoraverunt
20 eum et adoraverunt eius sanctitatem et volebant collocare eum in currum, aut ferre humeris suis, sed restitit et noluit, nam contempsit mundum iniquum, et ivit in oppidum Armeniae, cuius muri erant alti circiter LXXX cubita, latitudo autem fundamenti eorum XL cubita; a dextra et a sinistra erant sacer-
25 dotes et diaconi cum turibulis et lucernis, et puer quem ad vitam a mortuis revocavit anteibat ei laudans et celebrans Deum; videntes dicebant: « Hic est puer ad vitam revocatus a mortuis; ecce autem is qui eum revocavit; eunt una! *Mira- f. 48,v.
culum vidimus hodie! » Et talia dicentes, mirabantur et ob-
30 stupescebant valde. Puer autem ad vitam a mortuis revocatus precatione Eustathii sancti, didicit ab eo omnem sapientiam, et instituebatur, donec crevit et adolevit. Tum profectus est in terram Geʿez cum ceteris discipulis sancti Mār Eustathii; peragravit omnia monasteria et coenobia, et narravit praestan-
35 tiam et miracula eius in tota terra Aethiopiae, quae fecerat sibi et quomodo ad vitam revocaverat a mortuis. Et cum requievisset in honore et in pace, sepelierunt eum in terra Bāli.

[1] Tob., IV, 13. — [2] *Ps.* XXI (XXII), 7. — [3] *Ps.* LXXXVIII (LXXXIX), 49.

Eustathius autem sanctus peregrinabatur et ambulabat per totam terram Armeniam. Postquam e mari egressus est, advenerunt eo, ubi erant latrones insidiati in itinere; omnes homines cucurrerunt et fugerunt propter timorem latronum et reliquerunt sanctum solum cum discipulo eius Bakimos. Dixit 5 Eustathius sanctus discipulo suo: « Timesne, mi fili, hos latrones? » Ille respondit: « Timeo, pater ». Et dixit Eustathius sanctus: « Noli timere, nam Christus est nobiscum, qui non dereliquit sanctos discipulos suos, cum misisset eos annunciare in nomine suo Evangelium in omnibus finibus orbis ter- 10 rarum ».

Et huic Eustathio sancto data sunt varia et innumerabilia dona, et fide erat similis Abel, cuius sacrificium erat melius f. 49. (sacrificio) Cain. Fide erat similis Henoch, qui a *Deo translatus est, ne videret mortem. Fide erat similis Noe, quem Deus ser- 15 vavit ab aqua diluvii in alvo arcae, et qui erat heres iustitiae fidei. Fide erat similis Abraham, qui credidit Deum multiplicaturum esse filios suos, sicut sidera caelestia et sicut arenam in littore maris, ut benedicerentur in semine suo omnes gentes terrae. Fide erat similis Isaac, qui erat sacrificium 20 purum Deo caelesti. Fide similis erat Iacobo, qui vidit scalam auream, cuius altitudo erat a terra ad caelum, per quam angeli Dei adscendebant et descendebant et cui innitebatur Deus [1]. Fide similis erat Ioseph, qui de profectione filiorum Israel memoratus est et de ossibus suis mandavit [2]. Fide 25 similis erat Moysi, qui divisit Mare Rubrum (Erĕtrā) in duas partes et traduxit Israel per medium eius, quod experti Aegyptii devorati sunt [3]. Fide erat similis Iosue, qui stravit muros Ierieho circuitu dierum septem [4], et intravit in eam. Et similis quoque erat Iosue, cui divisum est flumen Iordanis. Et hic 30 Eustathius *transiit* mare ʿIyārico, cum conscendisset navem pallium caprinum, suam vestem, non madidis pedibus. Fide similis erat Barac, Gedeon, et Samson, Iephte, David et Sa- f. 49,v. muel et ceteris prophetis, qui fide *luctabantur et vicerunt reges [5]. Fide similis erat Iohanni Baptistae et patri eius Zacha- 35 riae. Fide similis erat duodecim apostolis et LXXII discipulis,

[1] *Gen.*, XXVIII, 12-13. — [2] *Hebr.*, XI, 22. — [3] *Hebr.*, XI, 29. — [4] *Hebr.*, V, 30. — [5] *Hebr.*, V, 32-33.

omnibus patriarchis, archiepiscopis, sacerdotibus et diaconis qui adepti sunt repromissiones, operati sunt iustitiam, obturaverunt ora leonum, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum [1]. Fide similis erat
5 concilio primogenitorum gaudio triumphantium, quorum nomina inscripta sunt in caelis. Fide similis erat iustis et martyribus, virginibus et monachis et omnibus fidelibus orthodoxis, qui pro Christo verbera et ludibria experti sunt, qui contumeliis afficiebantur, qui vincula perpessi sunt, securi per-
10 cussi sunt, qui lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei probati sunt [2]. Omnibus his similis
15 est hic Eustathius sanctus, navis multarum animarum, ut abeant per eum e mari igneo, nam hic est fullo corporis et animae, qui peccatorem album facit sicut nivem, et purgat impium sicut lanam.

In itinere Eustathius beatus patriarchae *Armeniae obviam f. 50.
20 factus est. Alter alterum complexus est, et patriarcha Armeniae ei dixit: « Abeo alio. Cape a me LXX uncias argenti, et da filiis tuis, ut cibum sibi emant, donec ad eos revertar ». Nec accepit Eustathius sanctus LXX uncias argenti, quas ei patriarcha dabat, nec cepit eas ab eo, nam divitias mundi
25 huius neglexit, tanquam pannos sanguinis profluvium habentis; et patriarchae dixit: « Nolumus aurum et argentum, vero tuam benedictionem volumus et rogamus ». Et sic locutus patriarchae valedixit, ut iter suum pergeret.

Et tum nubes lucida apparuit et Eustathium sanctum eripuit
30 e terra Armenia, et duo viri cum eo erant induti veste lucis splendentis, et tulit eum in terram Geʿez, eo ubi erat Salomē beata anachoreta, quam olim eduxit e domo connubii vi et magno miraculo. Et vivebat serviens Altissimo ieiunio et prece, et multis laboribus, et certaminibus, et debilitatione, tanquam
35 Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Et dixit: « Unde venisti, pater? » Eustathius sanctus respondit: « Veni e terra Armenia, vi Iesu Christi Domini mei ». Et interrogavit: « Pater,

[1] *Hebr.*, v, 33-34. — [2] *Hebr.*, v, 36-39.

quo vadis? » Et respondit et ei dixit: « Filia mea, vado in Kesāḥē collem, ut benedicam huic monti pro filiis meis fidelibus, f. 50,v. nam ibi servient *Deo omnes filii mei ieiunio, et oratione, et multa pervigilatione ». Et sic locutus evanuit ab ea. Et ad Salomē anachoretam venerunt duo viri: praefectus oppidi (m a- 5 k ŭ ā n e n a h a g a r) et sacerdos ecclesiae, et cum ea de magnificentia Dei loquebantur. Eis locuta est: « Mihi apparuit Eustathius pater noster, postquam venit e terra Armenia in lucida nube sedens et narravit mihi omnia arcana, quae ultimo die erunt; et duo viri cum eo erant, Michael et Gabriel, archan- 10 geli ante Deum stantes ». Et sic loquens testabatur Salomē anachoreta et dicebat, ut ei monstravit Spiritus sanctus super eam commorans: « Vere dico, nec mentior, nam ei qui mortui sunt in hoc monasterio et in eo sepulti sunt, non damnabuntur, nec id videbit is cui Eustathius pater noster benedixit ». 15 Et sic locuta, tacuit Salome beata et dicere desiit.

Et post hos dies, filii Eustathii sancti convenerunt in hoc monasterium ab oriente, et occidente, et septentrione, et meridie, et templum construxerunt in Kesāchē colle, et id D a b r a- M ā r y ā m nominaverunt, nam in eo profusa sunt lac et mel, id 20 est Vetus et Novum Testamentum, et in ea laudant angeli et una cum iis homines, una voce, Seraphim et Cherubim, et aves et omnis spiritus lucis qui potest benedicere et laudare, f. 51. et *efferre et sanctificare nomen sanctum et benedictum. Et aliae virtutes quae in terra et supra aquas, et omnis caro magis quam 25 virtutes laudabunt et benedicent in hoc monte Domino spirituum. Hic mons similis est monti Sinai, in quo apparuit splendor Dei, tanquam firmamentum caeleste, et tanquam lapis sapphiri, et tanquam pedes (?) solis, cum visitat locum, quo pedes Dei steterunt. Hic mons similis est Antilibano terrae Eliae, terrae olea- 30 rum, tritici et vitis, terrae lactis puri et melis, cuius lapides sunt ferrum, et cuius ad montes rubrum aes colligitur. Hic mons similis est monti Garizin; in quo VI tribus Israel stabant benedictionis et pacis causa. Hic mons similis est Nazareth Galilaeae, ubi Verbum Dei vivi incarnatum est, cum Gabriel archi- 35 strategus missus Mariae laeta nunciaret. Hic mons similis est Bethlehem, super quam stabant omnes copiae caelestes, in metu et tremore, cum Maria Unigenitum pareret. Hic mons similis est monti Quesquām, in quo mansit in fuga Unigenitus

MCCXC dies cum Matre sua, quam fecit arcam sacram. Hic mons similis est monti Olivarum, in quo pedes Dei stabant, et in quo enarravit discipulis suis mysterium secundae inquisitionis. Hic mons similis est loco Calvariae, in quo Filius Dei cruci affixus
5 est, et cum animus eius emitteretur, velum templi scissum est a summo* usque deorsum. Hic mons similis est cenaculo Sion, f. 51,v. quo descendit supra apostolos Paracletus Spiritus pacis, quem mundus accipere non potest [1]. Hic mons similis est Golgothae, ubi tres dies et tres noctes corpus Iesu manebat. Hic mons
10 similis est monti Thabor et monti Sion, super quem stabat ille Agnus [2] cruci affixus et occisus, ut acciperet regnum et sacerdotium, et gloriam, et vim, et sapientiam et opes. His similis est Dabra Māryām, ecclesia Eustathii sancti.

Et hic Eustathius pater noster obviam fuit patriarchae Ar-
15 meniae redeunti post peregrinationem eius, neque cepit ab eo LXX uncias argenti, et ei dixit: « Pater, nolumus aurum aut argentum, sed rogamus tuam benedictionem, et volumus discere a te scripturas institutorum apostolorum ». His auditis patriarcha mirabatur et obstupescebat propter eius despectum
20 bonorum huius mundi. Et abiit, et decessit ab eo patriarcha mirans facta eius.

Oratio et benedictio Eustathii sacerdotis,
margaritae lucis,
sit cum filio eius Ionatha,
25 qui fiduciam in prece eius ponit,
et cum scriba eius Amḥā-Giyorgis, peccatore et egenti,
et cum omnibus audientibus,
in saecula saeculorum. Amen.

Et posthaec apparuit ei Iesus Christus Dominus noster se-
30 dens in curru lucenti; Michael erat in dextra, *Gabriel in sini- f. 52. stra, Seraphim et Cherubim se inclinabant sub curru eius. Et dixit: « Pax tibi, a me electe Eustathi sancte, a Patre meo dilecte, domicilium Spiritus sancti. Tibi paradisus apertus est, et quies patet, et arbor vitae plantata est, et aevum futurum paratum
35 est, et gaudium requiesque instituta et instaurata sunt, instant benedictio et pulchritudo, collecta est radix sapientiae; morbus

[1] IOHANN., XIV, 17. — [2] Cfr. *Apoc.*, XIV, 1.

autem absconditus est et mors evanuit, et pernicies latuit et dolor oblivioni datus est, et apparuit thesaurus vitae. Omnia haec decent te et electos tui instar, nam petisti a me et tibi dedi; pulsavisti, et tibi aperui [1]; et nunc te traduco ex hoc fragili mundo et e tenebris in lucem, ex humilitate in gloriam aeternam, 5 ubi sunt recti et electi, puri casti, qui carnem suam non maculaverunt et lavaverunt stolas suas sanguine Agni [2]. Adducam eos ad fontem aquae vivae nitentis velut nix, et e longinquo ad oppidum sanctum fluentis. Eris una cum iis in caelesti Ierusalem in domicilio gloriae Patris mei, cui duodecim portae sunt; et 10 singulae portae erant ex singulis margaritis, et plateae civitatis f. 52,v. aurum mundum tamquam vitrum* perlucidum [3]. Haec est sors tua et sors victorum martyrum et purorum castorum ». Postquam Dominus noster haec dixit, Eustathius sanctus surrexit et ante Dominum genibus flexis se prostravit, et dixit: « Si inveni gra- 15 tiam in conspectu tuo, sine, Domine, me tibi dicere hoc verbum de quo te rogabo ». Et Dominus locutus est: « Dic; nam perficiam quidquid a me petiveris ». Et Eustathius sanctus respondit, capite suo in conspectu Dei inclinato et oculis cordis ad caelum elevatis: « Domine, Dominus meus, quale praemium 20 erit eis qui facient commemorationem meam et nomen meum invocabunt confidentes, etiam ei qui templum memoriae meae consecratum aedificabit, et in id feret oblationem turis et eucharistiae die memoriae meae, et qui alet pane suo esurientem et calice dabit bibere sitienti? Da iis bonam merce- 25 dem, eo tempore quo iusti mercede bona a te remunerabuntur ». Et iterum Dominus noster respondit, ore benedictionis pleno: « Omnia haec perficiam, tui causa, secundum verba tua. Quisque faciens memoriam tuam, et invocans nomen tuum, praemio centuplici afficietur in hoc mundo et in futuro aevo potietur 30 regno caelorum. Et nomina eorum qui scribent librum certaminum tuorum et explicabunt eum, scribam in libro vitae in Ierusalem caelesti, non manufacta ab homine. Et ei qui satiaverit esurientem die memoriae tuae, dabo stellam phosphori et mannam occultam; qui autem dederit bibere sitienti die me- 35 f. 53. moriae tuae, eum adducam ad fontem aquae vivae* et lucidae fluentis e throno gloriae Patris mei. Et qui induerit nudum,

[1] Cfr. MATTH., VII, 8 — [2] Cfr. *Apoc.*, VII, 14; XIV, 4 — [3] *Apoc.*, XXI, 12. 21.

preci tuae confidens, eum induam vestimento lucis, quod electis datur; qui autem tulerit die memoriae tuae oblationem similaginis, aut turis, aut olei lampadibus, aut cinnabaris minii, *aut* uvarum passarum templo tuo vel alii templo, memor laborum
5 et certaminum tuorum die memoriae tuae, ei dabo bonam mercedem cum omnibus sanctis meis. Et qui hymnos cantaverit die memoriae tuae, eum patiar audire cantum CXLIV milium parvulorum [1], qui primi redempti sunt Deo et Agno eius. Et qui confidens precationi tuae tulerit panes, quos pauperibus
10 det, eum patiar recumbere in cena millenii cum omnibus sanctis meis [2]. Et qui receperit pauperem, aut peregrinum, aut senem, aut orbum in sua domo in nomine tuo, eum collocabo in thronum gloriae cum magnatibus populi mei ». Eo testamento Eustathio sancto dato, Dominus noster locutus est: « Post-
15 haec elevabo te usque ad tertium caelum, thronum gloriae Patris mei, quo manent similes tibi; tu autem dispone domum tuam et consolare tristes eorum et instrue sapientes eorum et excute porro vitam mortalem: remove a te onus hominum et induere vestimento immortali, et relinque cogitationem do-
20 loris, et festina igitur ut transmigres ab hoc mundo [3] ». *Et haec locutus, Dominus noster in caelos ascendit in magna gloria. f. 53,v.

Preces et benedictio et donum pacti a Deo accepti, patris nostri Eustathii sint cum filio eius Ionatha et cum omnibus audientibus. Sit ei ad firmitatem et defendat eum quocunque
25 exeat et revertatur, in saecula saeculorum. Amen.

Et posthaec Eustathius pater noster ad se filios suos, qui cum eo erant, collegit; multi enim filii eius mortui sunt in itinere, dum sequebantur vestigia magistri sui. Et eis dixit: « Filii mei, memores estote portentorum et miraculorum, quae nobis
30 Dominus noster fecit et cognoscite cognitionem eius, liberi mei! Quanta miracula nobis Dominus fecit, ut monstraret vim suam super nos et coram patriarcha Alexandriae, et coram episcopo Hierosolymorum, et coram episcopo Cypri! Multa sunt portenta et miracula, quae nobis Dominus fecit! Et nunciate terrae Ae-
35 thiopiae magnificentiam Dei, quam vidistis et audivistis per me, patrem vestrum. Et ecce, morior, ut mihi Iesus Christus Dominus meus, cui sit gloria, nunciavit. Vos autem redite et

[1] *Apoc.*, XIV, 3, 4. — [2] Cfr. *Apoc.*, XX, 5. — [3] IV EZR., XIV, 10-14.

nunciate filiis meis qui sunt in terra Aethiopiae, et eis dicite: 'Estote constantes in bonis faciendis et in fide recta', ut vos docui; ut dixerunt apostoli sancti patres nostri in eorum Synodo, et ne quid faciat sacerdos aut diaconus sine voluntate episcopi in rebus Ecclesiae. *Et proficiscor Ierusalem terrestrem; vos autem, si vixeritis operibus manuum vestrarum, iuvantes pauperes et egentes, et eleemosynam dantes, vere dico vobis, filii mei, una mecum congrediemini in caelestem Ierusalem, ubi est congregatio primogenitorum gaudentium et angelorum vigilantium ». Et haec locutus, aegrotavit et coepit dolere ad mortem.

f. 54.

5

10

Et filii eius, cum audivissent patrem suum aegrotare, se collegerunt cuncti in pleno et dixerunt: « Mansisti solus nobis, tanquam unica uva e tota vindemia, et tanquam lampas in loco obscuro, et tanquam portus navis a voraginibus, et nonne satis malorum, quae nobis acciderunt? Et si nos relinquis, praestat nobis mori quam vivere, nam meliores non sumus patribus et fratribus nostris, qui mortui sunt in itinere te sequentes ». Et sic locuti, fleverunt magnum fletum, et eiulabant; et dixerunt: « Pater, cur relinquis nos gregem tuum quem multiplicasti sancta prece tua? Ubi inveniemus patrem et magistrum tibi similem? Nos relinquis in terra aliena, in regione multarum gentium, quarum linguas non intellegimus! » Et haec dicentes, discipuli eius lacrimabant, sedentes ad cervical et ad pedes eius; nonnulli autem sedebant in dextra et sinistra et osculabantur caput eius et amplectebantur manus pedesque eius. Eustathius autem sanctus, columna Ecclesiae et *lux mundi, cubabat inter eos, laborans morbo. Et ei iterum dixerunt: « Pater, ortus nobili genere, factus es peregrinus et advena, tanquam viator in terra Armeniae ». Et sic loquentes, tangebant sua colla et magna voce flebant, praevidentes patri sui spiritualis mortem et migrationem ex hoc caduco et fragili mundo.

15

20

25

f. 54,v.

30

Et recordati sunt eo die, quot et quanta miracula portentaque manu Eustathii sancti Dominus fecisset. Et omnes qui tum convenerunt, exclamabant et lamentabantur dicentes: « Pro aegrotantibus precabatur: et sanabantur: eos qui in morbum peccati deciderant, susurro monebat: et servabantur. Qui percutiebantur et verberabantur a malis spiritibus, revertebantur,

35

ab eo sanatione et salute accepta. Leprosos carnalibus cupiditatibus fornicatione et pigritia et angore (?) aspergebat aqua cognitionis legis, quae eos purgabat et mundabat. Omnes qui in densis tenebris *fraterni odii et inimicitiarum et calum- f. 55.
niae periclitantes et explorantes manebant, dirigebat cum pace ad concordiam et lucem amoris. Pro claudicantibus pede mentis precabatur: et recte ibant currentes per viam Evangelii. Perditos et eos qui mala et terrae adhaerente cogitatione permovebantur sancta doctrina sua elevabat. Balbos reddebat recte loquentes: eos vero qui dicebant temeraria, et ludibria, et foeda, coegit fugere hanc consuetudinem malam et verbo sacrae Scripturae edocuit. Graves auribus et surdos ad praecepta audienda mitigabat verbo Dei et aperiebat intimas aures eorum, et fiebant attenti et obtemperantes. Pro exsiccatis manibus [1] precabatur et rogabat ut fides eorum recta fieret et manus eorum veloces essent ad eleemosynam dandam. Pigros, qui opera manuum oderunt, excitabat verbo suo et faciebat doctrinam suam inter eos amabiliorem auro, argento et topazio. Eos qui oblectabantur ebrietate et delectabantur escis, et risu, et ludis, docebat ministrare Deo in labore et vita solitaria [2]. Eos qui erant in contaminatione, adducebat ad sanctitatem paenitentia et lacrimis. Vehementes et oppressores adducebat ad ius et veritatem. Eos qui *cogebant pauperes gemere et f. 55,v.
amabant repetundas, cogebat rapinas relinquere et admonebat ex opibus suis pauperibus eleemosynam dare, cum hilari vultu et laeto corde. Eis quorum fides mysterii maiestatis exigua erat, persuadebat ut Deo servirent, et corda eorum faciebat parata ad praecepta Evangelii *perficienda*. Eos qui delectabantur voluptatibus et saltationibus, diruentibus corpus et membra delentibus, cogebat continuo precari, et hymnos cantare in tranquillitate et diligentia multa. Superbos docebat humilitatem et rixosos faciebat lenes. Et omnibus praecepit ne mentirentur, neque ullo modo iurarent per nomen Dei magnum et terribile aut ullum aliud iurandum, sed semper fideles essent. Eos quibus semper calamitates et plagae acciderunt, consolabatur in doloribus eorum, et remittebat eos retro in domicilia cum pace, gaudio voce sua dulci affectos. Lapsorum tentatione inimici

[1] Metaphorice pro iis qui largitiones non faciunt. — [2] Vel « exercitationi », si ṣēmunā legas.

et dolore dirutorum firmabat corda, et excitabat eos, et vocabat ad certamina cum magna constantia. Pauperes et egentes iuvabat et firmabat eos ad inopiam suam ferendam, Deum laudantes. Et in his omnibus Eustathius sanctus perficiebat opera sanctorum apostolorum, et se similem Domino suo faciebat, dicens eis quos sanavit: « Videte, ne cui dicatis: ‘ Eustathius nos sanavit ’; *sed confitemini coram omnibus hominibus recte Iesum Christum vobis dedisse sanationem et salutem, cui gloria in saecula saeculorum. Amen. Nisi autem sic feceritis, in morbum vestrum et malum decidetis ».

f. 56.

Et haec omnia facta recordabantur filii Eustathii sancti, lacrimantes et eiulantes, cum ad mortem aegrotaret. Respondit filiis suis Eustathius sanctus et dixit: « Cur lacrimatis et cor meum dolore vestro frangitis? Oportet vos gaudere, nam anima mea a morbo et debilitatione in gaudium aeternum abit, et a servitute doloris in libertatem ». Et haec locutus, benedixit discipulis suis cum pace et voce dulci, et cum eis benediceret, subito e caelo magna lux descendit, et Eustathium sanctum circumstetit et hoc tempore anima eius e corpore eius exiit et in hanc lucem, quae de caelo descendit, abiit. Et extulerunt angeli hanc animam viri iusti Deo dicentes: « Laborabit in aeternum et vivet adhuc in finem, non videbit interitum [1]. Alleluia. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius [2]. Alleluia. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini [3] ». Et postquam haec locuti sunt, exceperunt eum angeli et archangeli Michael et Gabriel, Seraphim et Cherubim, secundum gradus et tribus eorum, nam mortuus similis fuit eis puritate et collaudatione Dei *et sanctificatione et glorificatione eius. Et ei obviam exierunt Abraham, et Isaac, et Iacobus, et omnes prophetae, quorum historias legebat. Et exierunt apostoli, quorum instituta dilexit et quorum crucem mortis ferebat. Exierunt martyres, quorum labores martyrii subierat. Exierunt iusti, quorum instar certavit. Exierunt casti, quorum instar castitatem acquisivit. Exierunt monachi, quorum instar schemate vestitus erat. Et extulerunt animam eius in caelos et induxerunt eam in caelestem Ierusalem.

f. 56,v.

[1] *Ps.* XLVIII (XLIX), 8-10. — [2] *Ps.* CXV (CXVI), 15. — [3] *Ps* CXVIII (CXIX), 1.

Et fuit obitus Eustathii sancti die duodevicesimo mensis m a s c a r a m.

Patriarcha Armeniae recitavit super corpus Eustathii sancti nomina Dei, et unxit corpus eius unguento, unctione divina.
5 Sacerdotes cum patriarcha legebant CL psalmos Davidis et omnes libros legis et prophetarum et Evangelii, Novum et Vetus testamentum a mane usque ad nonam horam. Et sepeliverunt eum apud sepulcrum Marmechnami martyris, in ecclesia Armeniae. Anima autem eius lucebat, tanquam sol inter iustos.
10 Revertamur ad fletum et planctum filiorum abbatis Eustathii. Qui erant in terra Armeniae, lacrimabant, et eiulabant, et lamentabantur, dicentes: « Heu nos! sal terrae et lux mundi hodie se occultat terra. Heu nos! oculi eius lucentes tanquam stellae, hodie obdormiverunt in sepulchro! labia eius hilaria,
15 *quae de Scripturis sacris loquebantur et eas interpretabantur, (f. 57.) obruta sunt pulvere! sanctitas manuum eius, quae mysteria divina tetigerunt, nonne constricta est vinculis mortis? Velocitas pedum eius, qui ad fidem docendam currebant, nonne vincta est compedibus, et nonne conclusa est ab angelo mortis? Secundum
20 verbum Salomon: « Hydria contrita est et obsurdescent omnes filiae carminis, et florebit amygdalus, et impinguabitur locusta, quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae [1] ». Et David dixit: « Sepulchra eorum domus illorum in aeternum, et tabernacula eorum in progeniem et progeniem [2] ». Et iterum dixit:
25 « In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit [3] », et iterum dixit: « Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi [4] ». Et deinde locuti sunt inter se discipuli Eustathii patris nostri, magni prophetae et apostoli et praedicatoris: « Ecce nunc fidelis tanquam Abraham obdormivit
30 somnum aeternum. Quo ibimus, et quo inveniemus pastorem sapientem, similem tibi, qui sciebas occulta nostra et liberabas nos ab occultis nostris [5], priusquam nos ipsi tibi dixissemus, et sollicite curabas ut nos sanares. Dicebat nobis ante migrationem suam ex hoc mundo: ‘ Filii mei, vobis in terram Ae-
35 thiopiae Armenia redeuntibus tentationes multae in itinere supervenient, sed manus Christi vos liberabit ’. Sic loquebatur

[1] Cfr. *Eccl.*, XII, 5-6. — [2] *Ps.* XLVIII (XLIX), 12. — [3] *Ps.* CXI (CXII), 7. — [4] *Ps.* CXI (CXII), 9. — [5] Cfr. *Ps.* XVIII (XIX), 12.

nobis vivus de eis quae futura erant post mortem eius. Corda
f. 57,v. nostra ardent, dum recordamur quomodo explicabat nobis *in
itinere verba prophetarum ordine eorum et leges apostolorum secundum consecutionem earum. Lingua eius praedicator
verbi Dei, labia eius hilaria, quae una cum angelis glorificabant, nonne nunc obmutuerunt? » Et sic loquentes plangebant
sua pectora et dicebant: « Surgite et eamus hinc, ut nuncium
de illo feramus eis qui illic sunt, ut faciant memoriam eius et
fiduciam ponant in prece eius ».

Gloria Deo Patri, qui elegit Eustathium patrem nostrum, ut
praecepta virginitatis et legem canonum impleret. Laudatio
Filio, qui impertivit ei regnum caelorum et elevavit eum cum
sanctis. Adoratio Spiritui sancto, qui ei tribuit bonam mercedem, quam oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, et quam Deus praeparavit iis, qui diligunt illum [1] in
saecula saeculorum. Amen.

Eum qui hunc librum scripsit et mandavit scribere in fide
et eum qui legit et interpretatur ad vitam et utilitatem, et
eos qui audiunt verba eius, fideles viros et feminas dirigat
(Deus) in regnum caelorum, orationibus Dominae nostrae Mariae Deiparae, et orationibus omnium sanctorum angelorum et
archangelorum, et orationibus prophetarum et apostolorum, et
orationibus iustorum et martyrum, et orationibus castorum et monachorum, et oratione Eustathii patris nostri, arcanorum videntis, cincti fune virginitatis, in saecula saeculorum. Amen, amen.

Mandavit ut hic liber scriberetur suo sumptu Ionathas, amori
f. 58. *Eustathii patris nostri confidens, ut nomen suum in libro vitae
in caelis inscriberetur, in hoc mundo liberaretur a morte repentina et a morte peccati, et a diebus mali et ab horis tentationis. Amen. Benedictio prophetarum et apostolorum, benedictio iustorum et martyrum, benedictio omnium vigilantium
angelorum, benedictio Dominae nostrae Mariae misericordis,
et gratia Patris et Filii et Spiritus sancti custodiat eum omni
tempore et omni hora, una cum omnibus liberis eius, viris et
feminis, in saecula saeculorum. Amen.

[1] I *Cor.*, II, 9.

TA'ĀMRIHU LA-QEDUS EWOSṬĀTĒWOS

f. 59.

SEU

MIRACULA SANCTI EUSTATHII.

In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, unius Dei.
5 Miraculum primum Eustathii patris nostri, quod legitur die quindecimo mensis tāḫsās.

Oratio et benedictio Eustathii sancti sit cum Ionatha filio eius, qui in eo fiduciam suam ponit, addens cor suum.

Servet et defendat eum dextra sua,
10 tribuat ei desideria cordis eius,
semper colloquatur cum eo,
et appropinquet ei ad foedus cum eo iungendum
in saecula saeculorum. Amen.

Rediit ex Armenia Eustathius pater noster in terram Ae-
15 thiopiae sedens in curru incorporali, ut raptus est Henoch propheta in turbine motuque terrae, et (Elias) in curru igneo et equis igneis in terram vivorum, quo potestas mortis non advenit. Et super Eustathium patrem nostrum reversus est duplex eorum spiritus. Et sedens in curru incorporali, advenit
20 ad Salomem matrem nostram anachoretam, quae vivebat multum ieiunans, et erat Eustathii patris nostri filia; in coetum monacharum eam ipse recepit ex oppido Zābyat, cum esset iuvenis sponsa [1]. Et postquam oculos suos elevavit, subito vidit eum stantem ante se in magnificentia gloriae magnae. Aspectus
25 eius erat mirabilis. Et dixit: « Pater, unde venisti? » Et respondit: « E terra Armeniae ». Et eum interrogavit dicens: « Quo vadis, pater? » Ei dixit: « Vado in collem Kesāchē, ut consecrem filiis meis hoc monasterium », *nam pristinum nomen Dabra-Māryām erat collis Kesāchē; sicut antea Ieru- f. 59,v.
30 salem nominabatur Argob [2], nominabatur Dabra-Māryām collis Kesāchē. Et postquam visus est a Salomē matre nostra anachoreta, profectus est et venit inde cum duobus angelis in

[1] Cfr. p. 22. — [2] Sic! Argob nomen regionis regni Og in Basan. Cfr. *Deuter.*, III, 13; III *Reg.*, IV, 13.

curru incorporali. Deinde venerunt ad eam Ganzāy, praefectus (sĕyum) *provinciae* Sarāwē, et Thomas, sacerdos, ut eam visitarent; et eis dixit: « Abba Eustathius ad me venit, sedens in nube, cum duobus viris, e terra Armeniae. Mihi videntur duo viri fuisse Michael et Gabriel ». O vis virginitatis Eu- 5 stathii patris nostri, quae eum in curru collocavit, ut Eliam! Salomē anachoreta testata est et dixit: « Mihi abba Eustathius locutus est: 'Qui sepulti erunt in hoc monasterio, postquam benedixero ei vi verbi Dei, non iudicabuntur neque damnationem videbunt' ». Vere non mentior de verbo pro- 10 phethiae Eustathii patris nostri sacerdotis: multi conservati sunt, quorum sepulchra obumbravit umbra monasterii Dabra-Māryām. Et post multos dies, filii eius convenerunt in hunc montem sub pedes Absādi, in quo erat duplex benedictio Eustathii patris nostri, tanquam duplex benedictio Eliae super Eli- 15 seum discipulum eius. Et struxerunt magnum templum in nomine Dominae nostrae Mariae, et fecerunt simulacrum Eustathii patris nostri, et nominaverunt hunc montem Dabra-Māryām, f. 60. nam similis est Dabra-Māryām caelesti *Ierusalem, in qua laudant Dominum angeli et archangeli nunquam silentes die no- 20 cteque.

Sic laudant filii Eustathium patrem nostrum egregii
in monasterio Dabra-Māryām,
senes et certatores, et monachi perfecti,
verbo patris sui obedientes 25
a carne edenda et vino bibendo se abstinentes.
Benedictio horum patrum deprecatorum
conservet filium eorum Ionatham [ciam ponit;
et scribam eius Amḫa-Giyorgis, qui in prece Eustathii fidu-
defendat eum a rixa linguae et factis Satanae inimici, 30
et dies eius faciat longos. Amen.

Miraculum (secundum) Eustathii patris nostri. Oratio et benedictio eius sit cum filio eius Ionatha in saecula saeculorum. Amen.

Erat femina quaedam, quae faciebat memoriam Eustathii 35 sancti. Profecta est in agrum una cum suis liberis parasceve, ut spicas in agro colligeret. Egit diem spicas colligendo et vesperascebat et sol inclinabatur ad occidentem. Recordata est

sibi panem deesse, ut sabbatum celebraret una cum liberis:
haec femina habebat morem antiquitus, a vespera parasceves
usque ad diem lunae non hauriendi aquam neque panem co-
quendi. Cum vidisset solem occidentem, dixit: « Obtestor te,
5 sol, prece Eustathii patris nostri, *noli occidere, donec coxero f. 60,v.
panem meum ». Et constitit sol, qua erat; et tulit mulier et
trivit farinam triticeam et depsuit, et paravit placentas panis,
quibus poterat ali duo sabbata, et videbat solem stantem in
parte caeli ad portam occidentis *sita*, sicut obtestata est eum
10 per orationem Eustathii patris nostri. Et haec femina paravit
sibi res necessarias et cibum curans studiosa valde, et mi-
rans et obstupescens ob miraculum, quod eius gratia fecit
Eustathius pater noster. Et permultum gavisa erat et laetabatur
miraculi causa, quod fecit, et obtestationis causa, quae effecta
15 sunt dicta eius invocatione nominis Eustathii patris nostri. Et
profecta est ad fluvium et hausit aquam, et domum rediit,
laudans (Deum) in corde suo, et cantans, et benedicens Eusta-
thio patri nostro.

Et mirabatur magnitudinem operis eius qui fecit sibi omnia
20 [stupenda,
qui accepit vim a Patre qui mundum electorum suorum causa
[creavit,
et robur a Filio qui adimplevit prophetias prophetarum,
et potentiam a Spiritu sancto qui profusus est super apostolos
25 [in cenaculo Sion.

Et haec femina, cum absolvisset omnia necessaria, non festi-
nans, sed tranquilla, soli dixit: « Demittere ore Eustathii patris
nostri ». Et statim sol suo more occidit. Preces et benedictio
patris nostri Eustathii, sancti Dei, qui invocatione nominis sui
30 fecit ut sol staret neque moveretur, sint cum Ionatha ad *cor- f. 61.
pus animumque eius conservandum et tuendum in saecula sae-
culorum. Amen.

MIRACULUM (TERTIUM) Eustathii patris nostri, effectoris osten-
torum miraculorumque magnorum. Oratio eius, etc. [1].

[1] Eadem formula recitatur ante singula miracula; cfr. supra p. 72.

Erat femina quaedam nomine Burket-Māryām, quae vivebat secundum doctrinam Eustathii patris nostri et celebrabat memoriam eius erga pauperes misericordia et eduliis multis. Cum aegrotaret et morti appropinquaret, angelus mortis animam eius cepit et in caelum ad Deum extulit. Et ibi vidit quattuor 5 animalia, quibus facies hominis, et leonis, et bovis, et aquilae, quae thronum Dei portant. Eustathius pater noster, cum Burket-Māryām vidisset, eam vi eripuit e manibus angeli mortis et ei dixit: « Relinque hanc quae memoriam meam faciebat! » Et cum a manibus angeli mortis servata esset, ei dixit: « Vide 10 facientes memoriam meam LXXX milia et LXX viros feminasque, quibus Deus mei causa veniam dedit ». Et omnes vestiti sunt albis vestimentis, et super capita eorum aureae coronae erant. Et post haec rediit anima in corpus eius et, postquam orationis Eustathii patris nostri causa resurrexit, narravit et 15 nunciavit totum hoc miraculum. Oratio patris nostri Eustathii monachi magni, apostoli et prophetae, sit cum dilecto eius f. 61,v. Ionatha, cuius labia florent, et cum scriba eius *Amḥā-Giyorgis et cum omnibus audientibus, parvis magnisque, in saecula saeculorum. Amen. 20

Miraculum (quartum), etc. — Erat homo iniustus et rapax, et homicida, et mendax, qui confidebat tamen precibus Eustathii patris nostri et faciebat memoriam eius, escas multiplicans et iuvencos mactans. Postquam aegrotavit et mortuus est, animam eius angeli tenebrarum susceperunt et inter se dixe- 25 runt: « Properemus iniicere eum in tormenta damnationis, donec Eustathius veniat et cogat nos eum relinquere ». Et eis sic loquentibus, Eustathius pater noster venit, sedens in curru lucifero et flammans igne, et angelis tenebrarum dixit: « Relinquite hunc, qui memoriam meam fecit, manibus vestris 30 comprehensum, cuius pedes vincti sunt compedibus damnationis ». Et ei angeli tenebrarum dixerunt: « Hic est homicida et fornicator, propter ea raptus et vinctus est ». Quibus respondit: « Conspicitis facta peccatorum eius neque animadvertitis virtutem eius, qui sollicitus erat de memoria mea 35 facienda; quamobrem missus sum ad eum salvandum, quoniam habeo veniam et donum a Deo Domino meo, ut quicunque fecerit memoriam meam, conservetur neque damnetur, foederis causa,

quod mihi *Deus Dominus meus ob magnam eius misericordiam f. 62.
dedit ». Et sic locutus, liberavit eum a manibus angelorum tenebrarum et restituit animam eius in corpus huius hominis, quem a damnatione absolvit. Et narravit ille incolis terrae omnia
5 quae fecerat ei Eustathius pater noster, et quomodo liberaverat eum e manibus angelorum tenebrarum.

[facere,
Et studebant incolae terrae eius praeclare memoriam eius
mirantes magnitudinem miraculi eius;
10 nam vulneravit eos sagitta amoris sui,
et corpora eorum condita sunt sale verbi eius,
et didicerunt praecepta dulcedine sermonis eius,
et pulchritudo factorum eius eis iucunda erat. [gistro,
Nonne magnum et mirabile est, Eustathio patri nostro et ma-
15 qui accepit foedus a Deo, [eius fecerunt et facient,
datam esse potestatem servandi animas omnium qui memoriam
et cum amore nomen eius invocant?

Miraculum (quintum), etc. — Erat homo quidam de Francis, mater autem eius de Armeniis. Narrabat virtutes Eustathii pa-
20 tris nostri et dicebat quomodo Eustathius pater noster profectus esset mari sine nave, et quomodo vidissent eum viri Armenii euntem mari, veste prostrata navis loco. Omnes incolae oppidi, cum eum vidissent, admirati sunt et dixerunt: « Utrum hic Deus est, an homo *magnas virtutes faciens Crea- f. 62,v.
25 toris sui instar? » Et convenerunt homines Armenii magni parvique, nam proximum hoc oppidum erat mari. Cum vidissent portentum miraculumque, quod antea non viderunt oculis suis neque audiverunt a patribus suis, mirati sunt et metuerunt et obstupuerunt omnes. Et stabant in littore maris, cum
30 exiret Eustathius pater noster. Cum e mari exiisset, viderunt splendorem faciei eius lucentem tanquam solem, et vestimentum corporis eius (quasi) lucem divinam. Et erant in timore tremoreque ob magnam magnificentiam formidabilem, quae eum circumstabat. Cum timerent ei appropinquare propter timorem
35 tremoremque qui incidit illis, abba Eustathius vidit inter eos Gabra-Krestos et ei appropinquavit, et manum eius prehendit, nam per Spiritum sanctum sciebat eum accepturum esse doctrinam suam. Et duxit Gabra-Krestos et collocavit Eustatium

in domicilio suo. Et Eustathius pater noster docebat eum bona opera animamque eius dirigebat.

Cum Eustathius pater noster requievisset, Gabra-Krestos faciebat memoriam eius sollicite et studiose satiabat esurientes et dabat bibere sitientibus, et sacerdotes gaudio afficiebat. Cum 5 autem Gabra-Krestos moreretur, et exiret anima e corpore eius, venit ei Eustathius pater noster obviam cum angelis et cum dulci cantu, quia confidens memoriam eius fecerat, ut Dominus noster dixit: « Facite vobis amicos de mammona ini- f. 63. quitatis, *ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna taber- 10 nacula [1] ». Et Gabra-Krestos, antequam exiret anima e corpore eius, imperavit Ta'amāni-Ba'egzi'e, filio suo, et ei dixit: « Fac memoriam abbatis Eustathii sollicite et cum fide in eo: habet multas divitias ». Et cum venisset dies memoriae eius, tentavit eum Dominus et adduxit super eum magnam pauper- 15 tatem, et nihil habebat quo memoriam Eustathii patris nostri faceret, et tradidit filium suum et dedit eum in pignus, et memoriam Eustathii patris nostri fecit. Tum Deus eum extulit et locupletavit eum, et ei dedit duplum cuiusvis possessionis, propter precem Eustathii patris nostri, quia bona opera faciebat et 20 erat misericors erga pauperes et egentes; et praecepit Berhāna-Masqal, filio suo eodem modo facere memoriam Eustathii patris nostri. Et ille, postquam praeceptum patris sui accepit, faciebat memoriam huius sancti quotannis cum intellectu et cura. Et vivebat in divitiis et honore multos dies. Deinde in- 25 duxit in eum Deus magnam paupertatem, ut Salomon dixit: « Sicut igne probatur argentum et aurum camino, ita corda probat Dominus [2] ». Et cum dies memoriae Eustathii patris nostri, magni sacerdotis, venisset, nihil habebat quo eam faceret, in pignus dedit uxorem suam et memoriam Eustathii patris no- 30 stri fecit. Et post tentationem dedit ei Deus gloriam magnam f. 63,v. et divitias multas, propter precem Eustathii patris nostri, *quoniam iuvat facientes memoriam eius, et deprecatur pro eis apud Dominum. Cum deinde iret itinere peregrinans, superverunt ei latrones improbi et vi eum aggressi sunt, et supe- 35 ravit et vicit eos, vi Domini Dei sui, et eis dixit: « Vici vos vi Domini Dei mei et precatione Eustathii patris nostri ».

[1] Luc., xvi, 9. — [2] *Prov.*, xvii, 3.

Quod miraculum magnum erat, nam a multis servatus est
qui fidem habebat in eo. [ab eo Berhāna-Masqal,
Sic autem properet servare
Ionatham dilectum suum, qui fiduciam in eo ponit,
5 ab omnibus dolosis inimicis eius,
quoniam iusto fiunt omnia quaecunque dicit,
et ei nihil est impossibile.
In aeterna. Et tegat eum scuto precis suae in saecula sae-
[culorum. Amen.

10 Miraculum (sextum) Eustathii patris nostri thaumaturgi.
Et posthaec quadam die ibat via Berhāna-Masqal, iussu regis
cum charta (kĕrtās), et eum comprehenderunt latrones eum
necaturi. Cognovit eos et cucurrit et se liberavit e manibus
eorum. Persequebantur eum equites et egerunt et adduxerunt
15 persequendo in mediam regionem Armeniae.

Videns eos se persequentes se proiecit in mare Iāriko, ma-
dicens: « Praestat ut me proiciam in mare, [gnum mare,
quam ut moriar hasta inimici,
*et non sim famae (?) ». f. 64.
20 Et se proiecit in mare
et dixit: « Accipe me,
pater! Ne devoret me fluctus,
neve opprimat me aestus maris.
Pater! pater! manum tuam sanctam mihi protende et me eleva,
25 ut veniam in bonum portum;
et probro affice, pater, persequentes me, [que mea
nam propter precem tuam me pepererunt pater meus mater-
et tibi in tutelam commiserunt me
et mihi praeceperunt ut tuam memoriam faciam.
30 Nunc autem iuva me ».
Et nondum oratione eius absoluta,
vidit Eustathium patrem nostrum sedentem
in nave incorporali et ei dicentem:
« Noli timere! veni ut te iuvarem ». Et statim accepit eum,
35 pallio suo strato,
sicut pater consolans et sicut mater amplectens.

Et gavisus est Berhāna-Masqal, postquam servatus est ab eis quos timebat, et erat una cum Eustathio patre nostro super pallium quod is prostravit; enunciabat exclamans, collaudabat, et multas gratias agebat, et Eustathio patri nostro dicebat: « Pater, quid est hoc pallium prostratum in mari sicut navis? » Et ei Eustathius pater noster dixit: « Hoc est pallium meum, in quo transii, vi Dei, mare Iāriko terribile. Accepi te, memor praestantiae avi tui et bonorum operum patris tui. Secutus es vestigia patris tui et sollicitus fuisti memoriam meam facere. Et ecce patres tui et omnes consanguinei tui mecum sunt in regno caelorum, qui fecerunt memoriam meam, viri mulieresque, et nemo eorum periit, ut Dominus noster dixit: 'Non est masculus neque femina [1], *nam erunt sicut angeli Dei in caelo [2]' ». Dixit Berhāna-Masqal Eustathio patri nostro: « Cur hoc pallium cubat in hoc mari? » Et ei Eustathius pater noster dixit: « Non solum ad hoc tempus cubat, sed cubabit usque ad secundum adventum Christi. Et mutabitur haec aqua maris et erit ignis ardens. Et aperiet tunc os suum pallium meum et testimonium dabit coram Creatore suo ». Et haec audiens, vehementer mirabatur et obstupescebat, et ab hac hora, qua venit ad mare et consedit in pallio, sedebat totam noctem cum Eustathio patre nostro loquens de magnificentia Domini multaque misericordia Dei nostri. Et ea hora qua e mari exibat, videbant eum omnes homines, et admirati sunt, quod eum mare non devoravit. Et nesciebant quis eum conservavisset, donec ipse iis dixerit. Et cum narravisset, intellexerunt Eustathium patrem nostrum amore suo eum conservavisse, et soliciti fuerunt memoriam eius facere. Gloria Deo Patri, qui dedit potestatem Eustathio patri nostro; gratiarum actio Filio, cui placuit doctrina eius; laus Spiritui sancto, qui extulit nomen Eustathii servi sui in toto mundo. Et die memoriae eius convenerunt viri Armenii cum fide, et emerunt a faciente memoriam eius (?) [3], et erat eis saluti aegrotis et languidis. *Id miraculum et ostentum fecit Eustathius pater noster in terra Armenia, post obitum suum. Oratio, etc.

f. 64,v. — f. 65.

Miraculum (septimum), etc. — Erat in quadam ecclesia monachus qui serviebat in ecclesia Mariae Dominae nostrae, de

[1] *Galat.*, III, 28. — [2] Matth., XXII, 30. — [3] Textus corruptus.

filiis doctrinae Eustathii patris nostri. Et aegrotavit ad mortem. Venit ad eum Eustathius pater noster, et cum eo omnes monachi ab abba Antonio usque ad eum. Et vituperabat eum et terrebat eum, et dixit ei: « Cur deseruisti statutum et legem 5 constitutam a Deo per ora apostolorum, a me autem commendatam et praeceptam filiis meis? Et si relinquent eam in errore cordium suorum, tradidit mihi Deus animas et corpora eorum, ut ea iudicarem ». Et apparuit Maria Domina nostra et ei dixit: « Miserere eius mei causa, quoniam est servus meus ». Et ei dixit: 10 « Miserebor eius tui causa, Domina mea, sed impera mei gratia ut curet observare legem meam et praecepta quae praecepi ». Et statim sanatus est hic homo de morbo suo et dixit: « Gloria Deo, qui dedit potestatem abbati Eustathio sublevandi et gravandi, prosternendi et veniam dandi. Et ut dixit Dominus noster in 15 Evangelio: ' *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet [1] ' ». Et admirati sunt omnes circumstantes eum, et dixerunt: « Ubi fuisti et quid vidisti? » Et eis dixit: « Vidi abbatem Eustathium cum omnibus monachis ab abbate Antonio usque ad hoc tempus et Mariam Dominam no- 20 stram cum eis; et abbas Eustathius aderat cum omnibus monachis. Et mihi irascebatur, et terruit me, et mihi dixit: ' Cur deseruisti institutum et legem quam statuerunt et praeceperunt patres tui? ' Et me verberare coepit, sed placavit pro me Maria Domina nostra dicens: ' Miserere, mei causa, a me dilecte, nam 25 hic est famulus meus '. Et ei dixit: ' Misertus sum tui causa, Domina mea '. Quae cum locutus est mihi, dixi ei: ' Qui sunt hi monachi, pater? ' Mihi dixit: ' Ab abbate Antonio et usque ad hoc tempus '. Et dixi: ' Pater, cur tuus sermo elatus est prae sermone abbatis Antonii? ' Et mihi dixit: ' Quoniam conservavi 30 relictam legem et praecepta; omnium horum causa elatus et potens est sermo meus '. Et haec locutus addidit: ' Iam amplius noli peccare [2] ', et a me evanuit ». Tanta est gloria data Eustathio patri nostro a Deo Domino eius per donum misericordiae eius mirabilis.

f. 65,v.

35 Et deinde reversi sunt ii qui comitabantur Eustathium patrem nostrum sacerdotem Hierosolyma, et cum rediissent ex Armenia et advenissent Dabra-Māryām, interrogaverunt eos abbas

[1] IOHANN. XIV, 12. — [2] IOHANN. VIII, 11.

f. 66. *Absādi et omnes fratres eius de patre eorum, cum lacrimis, et fletu, et gemitu eiulationeque multa: « Ubi reliquistis patrem nostrum, lumen totius mundi? Ecce, cum vos videmus, trepidat cor nostrum et tremunt genua nostra, et robur nostrum lapsum est. Ubi reliquistis columbam albam, retribuentem bonum pro 5 malo? Ubi reliquistis agnum lenem et purum, quem ira non tetigit? Ubi reliquistis patrem nostrum, plenum humilitatis, et abyssum lenitatis misericordiaeque, qui dabat potum sitientibus, et sollicitus erat de esurientibus, et dolebat de infelicibus? Ubi reliquistis patrem nostrum, splendorem Ecclesiae? 10 Ubi reliquistis patrem nostrum purum sicut aurum, et liquatum sicut argentum, purgatum septies virginitate pura et monachatu perfecto? Ubi reliquistis pastorem honorabilem, qui nobis numerum librorum aperuit, antea perditum, et nunc apertum et perspectum doctrina eius? » Et tum responderunt ei omnes 15 fratres, dicentes: « Nomine patris nostri a vobis prolato, exarserunt corda nostra et viscera nostra perturbata sunt ». Et haec locuti, lacrimas ex oculis profuderunt et fratribus suis dixerunt: « Pater noster, qui fugit magnificentiam terrestrem, potitus est caelesti; fame sitique carnem suam cruciabat et eundo 20 nos docebat ex ordine Vetus Testamentum et explicabat Novum secundum consecutionem eius. Instituebat nos et dictis patrum f. 66,v. ex ordine, *et nemo dicebat coram eo verbum inane vel vanum, quoniam gloriam Domini nunciabat os eius et magna magnificentia formidabilis circumstabat totam eius naturam ». Et 25 iterum fratres dixerunt: « Ubi reliquistis patrem nostrum, cuius lux in omnibus finibus mundi luxit? » Et dixerunt: « Pater noster, decalogo veritatis in iota [1] praecepto, sperans in nomine Trinitatis, stabat ante thronum in concilio regum. Non timebat mucronem cultrorum vel gladiorum, aream iudicii tremendam 30 et fulgentes hastas non formidabat. Cum interrogatus erat de lege praeceptoque, dicebat cum sapientia et humilitate, nam omne verbum eius pulchrum et omne factum exoptatum est, et quicunque videbat, amabat columen lucis Eustathium sacerdotem. Et non solum ii qui eum viderunt, amabant eum, sed 35 etiam ii qui audierunt de eo, amabant et colebant eum, velut

[1] Tautologia pro « decalogo », nam *iota* signum numeri denarii est. Cfr. Dillmann, *Lex.*, p. 1076.

patrem matremque, propter pulchritudinem factorum et moris eius. Velut loricam pectori suo, et velut monile collo suo, et velut cingulum lumbis, et velut mel et lac et dulcedinem sacchari amabant eum omnes homines et optabant. Et qui audiverat
5 eius verbum, nolebat separari et decedere ab eo, magistro exemplis suis et moderato labiis suis; quoniam mirabilis est sapientia et notitia cor eius canum est. Et dicebant: 'Triginta annos natus est et iuvenis est inde a teneris'; id erat in prima peregrinatione eius, nam in mente sua non vincebatur
10 bonis mundi, et nec curae ei erat lex carnis humanae;* quoniam ter Hierosolyma ivit pauper bonis huius mundi, ut esset dives in aedibus caelestibus. Et ea quae quaerebat, praecepta apostolorum patrum nostrorum, invenit et his misericordiam apud Deum suum assecutus est. Et posthaec suam naturam
15 fame sitique torruit continuo, debilitans carnem suam. Prudentes fecit oves suas et sapientes reddidit suas columbas. Et suo munere perfunctus, mortuus est in terra Armeniae. Eum nolite lugere: ille cum Deo est, qui redemit eum corpore sanguineque suo, et cum apostolis sanctis sortitus est oppida
20 non in mundo, sed in Eden et Hierosolymis. Et vos, patres fratresque nostri, nolite eum lugere, quoniam spem suam adeptus est. Non timuit terrorem Iāriko, cuius latitudo est tanquam caelum aestusque tanquam tonitrus aestivus. Transiit id per constantiam et abstinentiam et fidei firmitatem, quaerens legem
25 prophetarum praeceptaque sanctorum apostolorum. Quamobrem et ei datus est thronus altus in caelis ». Quis, postquam venit ad eum in ira, non decesserit ab eo placidus? Et quis iuvenis, postquam venit ad eum, agitatus cupiditatibus, non decesserit purus a peccato? Quis non fleret, haec audiens et videns filios
30 Eustathii patris nostri grunnientes velut sues in terra Armeniae propter separationem ab eo? Quis lacrimas non funderet *eo tempore, nisi ei sit cor tanquam lapis sine misericordia, et ipse esset partis cum Eustathio patre nostro expers? Et quis non doleret ob egestatem et paupertatem et peregrinatio-
35 nem Eustathii patris nostri? Oratio eius, etc.

f. 67. f. 67,v.

Miraculum (octavum), etc. — Narrant quemdam monachum habitasse ad flumen, quod nominabatur Romā: honoratus fuit ille apud Deum. Monachatus eius erat in monasterio abbatis

Takla Hāymānot, quod nominabatur Dabra-Libānos; monachus autem in eo factus est temporibus abbatis Andreae. Deinde abiit in deserta, et consedit inter duos torrentes, nomen unius Phison, alterius autem Abāwi, i. e. Geon. Nunciatum est de eo n a g ā s i, praefecto (m a k ŭ ā n e n) provinciae Gŭădzam. Cum hic audivisset de virtute illius, properavit visere eum et volebat audire verbum eius, et ivit ad eum occulte. Cum vidisset praefectum venientem ad se, volebat se in aquam praecipitare, ille autem obsecravit eum nomine Dei Domini sui, ne declinaret ad dextram neque ad sinistram, nisi osculo sibi dato et concessa sibi benedictione. Tum incepit obiurgare eum ob milites eius, qui diripiunt *bona pauperum et valde avertebatur ab eo peccatorum eius causa, nam non erudiebat suum populum in iustitia. Praefectus cecidit ad pedes eius lacrimans, et incepit loqui summissam orationem, ut mitigetur cor et mens eius. Et cum vidisset factum esse bonum cor eius, interrogavit eum de eius vita et dignitate; quaerebat autem quoque de sanctis qui abierunt ex hoc mundo in deserta, quis esset maior eorum? Et dixit ei hic monachus: « Non tui causa narrabo, sed ut appareat gloria Dei, et magnitudo certaminum et firmitas abstinentiae et multitudo laborum servorum Dei sanctorum. Ecce rapuerunt me angeli et induxerunt in septimum caelum. Et ibi vidi varios honores prophetarum et missorum apostolorum, thronos ornatos et coronas firmorum victorum martyrum et monachorum certatorum; alius alio erat per gradus excelsior, maior, praestantior et nobilior pro factis eius; et ibi thronum abbatis Eustathii altissimum in magna gratia apud Deum. Vidi eum incedentem et exeuntem ad interiora velaminis cum septem archangelis. Et ibant ante Patrem et Filium et sanctum Spiritum in gaudio et laetitia. In manibus eius erat crux lucis, vestitus erat pallio fulgente quod omne contextum erat signis crucis. *Ad dextram eius stabat monachus quidam in magna gloria, indutus sicut ille lucente et floribus ornata veste. Interrogavi angelum pacis, qui ibat mecum, et dixi ei: ‘Qui sunt hi, induti vestibus lucis?’ Respondit mihi hic angelus qui ducebat me: ‘Is monachus, quem vides in magna gloria et qui, cum septem archangelis, stat ante Dominum spirituum, est abbas Eustathius, magister legis et praeceptorum; is autem qui a dextra eius, est abbas Phi-

f. 68. f. 68,v.

5 10 15 20 25 30 35

lippus e Dabra-Bizan '. Et interrogavi: ' Quam ob causam nacti sunt ii hanc magnam gratiam, quae non est data aliis monachis Aethiopiae? ' Dixit mihi: ' Quia servaverunt canones institutos a patribus sanctis apostolis, et colebant quoque
5 sabbata diligenter, et diem festum Paracleti colebant aeque ac diem festum Resurrectionis Christi. Et propterea praestantiores sunt, et superiores et honoratiores sunt aliis '. Dixi: ' Ubi sunt alii magistri, qui certabant iustitiae causa? ' Et respondit mihi: ' Manent in suis herediis et mansionibus, nam
10 dixit Dominus noster: In domo Patris mei mansiones multae sunt [1]; hic sanctus prope admotus est ad Deum propter conservationem legis et praeceptorum '; nam fuit legis servator studiosus et sustinuit multos labores pater noster Eustathius ». Et cum audivisset haec praefectus, admiratus est et obstupuit
15 et osculatus est hunc monachum et rediit in terram suam, et ab hoc tempore erat devinctus amore patri nostro Eustathio *et studiose faciebat memoriam eius, et amavit legem institutorum eius. Et ego, qui transcripsi librum hunc, audiebam ex ore huius praefecti hanc narrationem, et hic dicebat: « Si mihi
20 narravissent haec filii patris nostri Eustathii omnes in corpore cruci affixi inverso capite, instar Petri, non credidissem eorum testimonio et narrationi. Sed hic monachus qui tradidit et narravit nobis magnitudinem et gloriam abbatis Eustathii certatoris, est e filiis patris nostri Takla Hāymānot ». f. 69.

25 Miraculum (nonum), etc. — Fuit homo quidam in regione Aethiopiae, quae nominatur Axum. Amabat Eustathium et faciebat memoriam eius cum magno studio et diligentia et magna eleemosyna. Aliquando profectus est in longum iter negotii causa. In itinere, cum nondum pervenisset ad oppidum suum,
30 tenebrae obortae sunt die et tectum est caelum obscuritate, nam fuit horribilis temporis pluvii dies. Grandinavit, tonuit et sonuit valde, fulgur se iactabat ante faciem tonitrus. Viso hoc magno terrore, vir exclamavit dicens: *« Abba Eustathi, iuva me et serva me ». Statim divisus est imber a fronte et a tergo,
35 a dextra et a sinistra, et plane non tetigit hunc virum nec homines eius qui stabant, et fuerunt sicut in domo. Et quocunque f. 69,v.

[1] Iohann., xiv, 2.

iret iter suum, imber fugiebat eum. Testes horum fuerunt multi viri qui cum eo erant. Ex hac die magis quam antea fecit memoriam Eustathii patris nostri, et incipit advocare multos homines ad memoriam eius celebrandam, pauperes et miseros, et consolabatur eos omnibus donis suis. Preces et precationes et benedictio verbi abbatis Eustathii ex excelsis delapsae, sint cum filio eius Ionatha, cuius multiplicent opes et longos faciant dies, ne marcidam reddat mors uvam et frondem eius, cum omnibus liberis eius, qui in illo fiduciam ponunt. In saecula saeculorum. Amen.

Miraculum (decimum), etc. — Narrant quoque in urbe regis Axum feminam quandam fuisse, quae faciebat memoriam Eustathii patris nostri quotannis duodevicesimo die mensis m a s k a r a m, alendo esurientes, potum praebendo sitientibus et porrigendo eleemosynam pauperibus egenisque, quantam poterat. Cum (f. 70.) viveret, agens haec, machinatus est perniciem ei *Satanas, inimicus bonorum, et induxit in eam rete malum, ita ut caeci facti sint ambo oculi eius. Et isto modo vixit in dolore multos dies et supplicabat Deo, dicens: « Memento Domine, Eustathii servi tui, qui ambulavit tecum in castitate et sanctitate, in iustitia et munditia cordis, et propter eum miserere mei servae tuae debilis, ut curem cum diligentia et animo prompto facere memoriam servi tui Eustathii, ut semper ». Et post multos dies. reversa est lux oculorum eius, et vidit lucem propter precationes Eustathii patris nostri, et sanata est, et fuit sana; nam precatio iusti multum potest assidua [1].

Miraculum (undecimum), etc. — Est quoddam notum oppidum inter oppida Aethiopiae, in quo erant probi viri, amantes hunc beatum abbatem Eustathium, memores peregrinationis eius iustitiae causa. Faciebant memoriam eius ieiunio et precatione et multa pervigilatione, laudatione, porrectione eleemosynae et oblatione sacrificii. Et die commemorationis eius porrigebat iis Deus benedictum imbrem, cum tota terra esset sicca. Hoc imbre vescebantur eorum homines et animalia, etsi erat annonae penuria in tota terra inopiae imbris causa, nam

[1] Iacob. v, 16.

dictum est: « Diebus improborum *minuetur imber hibernus ». f. 70,v.
Iis autem cadebat imber benedictionis die memoriae Eustathii sancti, et plane non videbant annonae penuriam aut inopiam aquae. Et hoc miraculum constanter concessum est his viris ad
5 hunc diem, amoris Eustathii sancti causa.

MIRACULUM (DUODECIMUM), etc. — Audite quoque ostentum et miraculum factum in Armenia. Post obitum Eustathii patris nostri, tulerunt corpus eius viri fideles et sepeliverunt more christiano; et posuerunt eum in sepulcro aedificato e lapidibus
10 pretiosis 'a f r ā ṣ, qui splendebant sicut margarita et aurum pretiosum, sicut puri berylli. Et post multos dies voluit princeps quidam (m a k ŭ ă n ĕ n) in hac terra aedificare sibi regiam. Et dictum est ei de his pulchris lapidibus, qui in sepulcro Eustathii patris nostri; et misit suos milites qui quaererent hos
15 lapides et afferrent sibi, ut eos poneret in capite aedificii. Cum venissent eo et vellent destruere hos *lapides, statim manus f. 71. eorum siccae factae et in lapides versae sunt. Exclamaverunt et non poterant se movere aut agere. Cum re infecta *ibi* essent, certior factus est dominus eorum de omnibus actis. Hic
20 induravit cor suum, sicut olim Pharao; non trepidavit cor eius, sed procaciter perseverabat, et ivit cum suis militibus, ut aliquid vi de his lapidibus caperet. Et circumdedit cum suis militibus sepulcrum Eustathii sancti; sed tum exiit vis ex hoc sepulcro hominis Dei, Mār Eustathii, et statim, vi precationis
25 eius, in lapidem vertit hunc principem et milites eius et servos eius et equos, et erant immobiles sicut columnae, et ad hunc diem stant, sicut muri in septo templi Marmehnām sancti, ubi sepultus est abbas Eustathius. Et ab hoc tempore fuit magnus timor et terror, et nemo iurabat falsum in loco monumenti Eustathii
30 sancti, nam statim apparebat et non relinquebat vivos unam horam quemcunque qui falsum iuraverat. Et postquam clausa sunt templa Christi, veniebant Christiani et gentiles adorandi causa ad sepulcrum Eustathii sancti, parvi et magni, et afferebant ei incensum et suffimentum; nam videbant miracula et magnam
35 vim a sepulcro sancti. Nesciebant hoc factum esse a Deo, sed cogitabant vim hanc esse deorum. Et ad hunc *diem hoc more f. 71,v. conveniunt e longinquis et propinquis locis ad sepulcrum Eustathii sancti cum multis donis. Haec tradidit peregrinator

quidam, qui ibat in terram Armeniam et fuit ipse e monachis Aethiopiae. Cum reversus esset et advenisset redux in terram Aegypti, convenit cum peregrinatore e filiis abbatis Eustathii; hic autem peregrinator qui convenit, filius fuit abbatis Takla-Hāymānot, et collocuti sunt de magnitudine Dei. Et cum colloquerentur, professus est alius ali, dicens: « Sum filius Eustathii ». Respondit ille peregrinator: « Si filius Eustathii es, scisne magnitudinem Dei et miracula et ostenta abbatis Eustathii? Narra mihi ea ex ordine ». Et exposuit de castitate et sanctitate eius, quomodo ter Hierosolyma peregrinasset, de equis cum camelis, quomodo properavissent duo montes obviam ei, quomodo transisset mare nave vestis suae. « Ecce, quae scio », dixit. Et respondit ei is peregrinator, filius abbatis Takla-Hāymānot: « Dimidium dimidii nescis et non intellegis. Ego autem vidi meis oculis homines in lapides et arbores precatione abbatis Eustathii versos, cum transgressi essent et demoliri coepissent sepulcrum sancti ». Et narravit ei omnia quae fuerunt, sicut vidit et audivit, a primo ad extremum. Nunc non dicemus plura, ne sit audienti causa aberrationis mentis. Et si narraremus multa miracula facta ab eo *ad hunc diem, non esset finita narratio! (f. 72.)

Et hoc miraculum fecit ille in terra Armeniae, iuxta occul- [tum corpus
sancti Mār Eustathii, prophetae et apostoli,
qui a pueritia delegit sapientiam,
et animam suam inclinavit sub iugum eius [1].

Miraculum (tertiumdecimum), etc. — Sicut dixit Scriptura: « Quanta audivimus et quanta cognovimus, et quanta narraverunt nobis patres nostri, non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera, narrantia gloriam Domini et potestatem eius et miracula eius, quae fecit [2] ». Et iterum dixit Ioel: « Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terrae; si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum

[1] Hic apparet finitam esse antiquam recensionem vitae cum cyclo XII miraculorum. Reliqua vero in uno codice Orient. 705 continentur, praeter XIII et conclusionem, post miraculum XVII positam, quae et in Orient. 704 occurrunt. Notandum est miraculum XIII a novo exordio incipere. — [2] *Ps.* LXXVII (LXXVIII), 3-4.

vestrorum? Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alterae »[1]. Dixit monachus quidam: « Eram quidem in terra 'Enfrāz et precabar, ferens imaginem Dominae nostrae Mariae cum dilecto Filio eius, et imagines Michaelis, Gabrielis et Georgii archimartyris, et imagines patris nostri Eustathii, et patris nostri Absādi, et patris nostri Mercurii, et patris nostri Zachariae, et patris nostri Romani, et patris nostri Tawalda Madḫen, et patris nostri Victoris, et patris nostri Matthiae. Et cum vidisset eas, venit ad me laborans quidam, quem fecerunt aegrotum magi qui nominantur 'enbārbo, et dixit mihi: ‘ Pater, *confugio ad te et ad precationem patrum nostrorum, ut spectes morbum meum, qui accidit mihi invidia fratrum meorum, propter dignitates et divitias quas videbant in domo mea. Induxerunt mihi mercede falsa multos magos et mutaverunt naturam meam, difficiliore facto exitu excrementorum et adverso, dicentes: « Ne appropinquet feminis, neve accipiat ab iis progeniem aut masculinam aut femininam, ne sint qui hereditate accipiant domum et bona eius, sed sint nobis eius dignitas (simat) et bona (rĕst), nam est vir potens. Subigamus eum incantamento vehementi et corrumpamus, et foeteat malo odore excrementorum, et non amabunt eum videntes eum, sed avertentur ab eo ’. Fecerunt eum aegrotum et dolentem, et multi medici non poterant sanare eum variis suis artibus et medicamentis et operibus. Et multo dolore exclamavit hic vir ad me et dixit: ‘ Confugio ad Patrem et Filium et sanctum Spiritum, et ad Dominam nostram Mariam, ad prophetas et apostolos, et ad martyres victores, ad precationes iustorum et certatorum, et ad precationem patris nostri Eustathii, sacerdotis Armeniae, suscitatoris mortuorum; nam sum filius doctrinae patris nostri Gabra-Iyasus, magistri (mamher) sanctorum terrae Dabsān, qui calcavit mare Sāph in lapidibus *stans* (?)[2], qui est luce vestitus, qui in nomine Trinitatis aegrotos sanat. Supplica, pater, Deo dicens: ‘ Noli perdere naturam servi tui, Habta-Egzi'e, quem creavisti ad imaginem et similitudinem tuam et fecisti ad modum tuum ’. Et cum audivissem haec, lacrimavi *et eiulavi calidis lacrimis. Et dixit mihi hic aegrotans: ‘ Pater, eo quoque

f. 72,v.

f. 73.

[1] Ioel., I, 2-3. — [2] Hoc mihi obscurum est.

gravior et maior est mihi dolor, de quo narravi tibi, quod est mihi unica filia, cuius color faciei similis est splendori solis. Multi principes (makuānĕnt), qui viderunt eam, volebant matrimonio iungere eam filiis suis; et dicebam eis: Nonne multi estis praefecti (makuānĕnt) et praepositi (šeyumān)? Mea filia una est, et cuius vestrum filio erit uxor? Nolite contendere propter eam, nam non dabo meam filiam. Et cum haec dixissem, dixerunt: Da tuam filiam ei, cui eveniet sorte, ut sit ei uxor. Dabimus tibi dotem aurum et argentum et pretiosas vestes et multas res, quae erunt tibi et liberis tuis. Cum evenisset sorte filio praefecti (makuănĕn) cuiusdam, cepit et duxit eam iuvenem in domum matrimonii lege matrimonii. Et cum esset in domo matrimonii, non concipiebat invidia eorum; propinqui patris eius in consilio statuerunt: Qui nascetur ex hac filia et hoc filio praefecti, puer aut puella, superabit nos et hereditate accipiet domum fratris nostri. Propterea conducamus rursus magos, et sic facient ei ut fecerunt patri eius, ut deleatur e terra memoria eorum, nunc autem demus remunerationem eorum quae fecerunt antea. Et hi magi peius fecerunt cum ea quam cum patre eius: adduxerunt serpentem nigrum, cuius oculi fuerunt rubri, sicut color sanguinis, *et artibus magicis induxerunt eum in naturam huius feminae, ne appropinquaret ad eam maritus lege matrimonii. Et intravit in uterum eius hic serpens et mansit ibi VII annos, crucians eam. Cum audiebat sonum mariti, tendebat caput et lambebat vestem et corpus uxoris, et ambo implicati sunt insolito et gravi morbo. Cum audivissent de certaminibus Eustathii patris nostri, cum ea legerentur, dixerunt ambo: Date nobis bibere aquam precationis eius, et si e morbo nostro recreati erimus, faciemus memoriam Eustathii patris nostri et colemus eius sabbata in Synodo instituta [1]. Et cum bibissent hanc aquam precationis et abluti essent ea, e morbo recreatus est pater huius puellae, et incepit vitam agere sicut ceteri homines. Deinde coivit cum uxore sua, haec concepit et peperit puerum quem nominavit Habta-Ēwosṭātēwos [1], et huic devovit, nam precatione eius peperit eum. Hanc autem puellam, in cuius utero instituerat suam habitationem serpens, cum con-

f. 73,v.

[1] I. e: « donum Eustathii ».

spersissent hac aqua precationis, intravit et latuit in eius utero: cum autem bibisset puella hanc aquam precationis, mortuus est in utero eius hic serpens et in XIV partes a capite usque ad caudam divisus est. Dissecatus est in tenues partes et exiit una
5 cum urina. Omnes homines qui viderunt et audiverunt hoc miraculum, mirati sunt et grato animo celebraverunt vim precationis Eustathii patris nostri. Posthaec sana fuit puella, et peperit puerum et nominavit eum Takla-Ēwosṭatēwos [1]: et vovit eum quotannis memoriam eius facturum esse. Magna est vis
10 nominis *Domini. Et eum sequentes, iusti et electi elati sunt ». f. 74.

Elatum est nomen Eustathii patris nostri prophetae et apostoli,
docentis LXXXI scripta praeceptorum et legis per totum spatium Aethiopiae.
15 Et ecce fuit exemplum populis et populo in rebus bonis;
et facit miracula et res mirabiles in nomine Architectonis,
cum ossa eius sint in Armenia:
nam iustitiae causa subiugavit et ad egestatem redegit corpus suum et animam suam.

20 Et hoc est mirandum, et non de mendacio convictum, nam id narrabat nobis qui vidit oculis suis et audivit auribus suis.

Miraculum (quartumdecimum), etc. — Fuit femina quaedam in regione Sēwā, quae cogitavit in corde suo et dixit matri suae : « Pauca sunt mihi bona; quo faciam memoriam abbatis
25 Eustathii? Est mihi omnino nihil bonorum mundi huius, nam sum pauper ». Et vidit Deus eam promptam esse corde ad memoriam abbatis Eustathii faciendam. Et attulit ei praefectus (makŭănen) quidam tres saccos tritici et tres saccos fabarum et tres saccos ḫĕnkĕro (?), cum ab eo non petivisset. Et in-
30 tellexit sibi oblata esse a praefecto quod cogitaverit facere memoriam abbatis Eustathii. Et dixit: « Attulit mihi abbas Eustathius, ut faciam memoriam eius ». Et denuo eodem modo praebuit insuper praefectus quidam tres saccos tritici et tres saccos fabarum et tres saccos ḫĕnkĕro; illa autem dixit: « Et haec misit
35 abbas Eustathius, ut faciam memoriam eius ». Rursus tertium

[1] I. e: « planta Eustathii ».

f. 74,v. praebuit ei *tertius praefectus eodem modo, ut priores et dedit instar eorum. Et dixit illa: « Et haec misit mihi abbas Eustathius, ut faciam memoriam eius ». Cum institisset dies memoriae abbatis Eustathii, extulit hunc cibum in solem et in corio eum posuit. Primo mane ivit in alium agrum adversum 5 mansioni suae, progrediens post mansionem. Effusus est imber magnus. Non timuit et non metuebat pro cibo, dicens abbati Eustathio: « Quod vellem hunc cibum non ut ipsa ederem, sed ut molerem pauperibus et egentibus et facerem memoriam tuam, hic imber non cadat in eum ». Et effusus est imber et 10 magna grando, sed non in hunc cibum, super quem fuit sol in spatio corii, et grando fuit super terram a duobus cubitis ad dextram et ad sinistram, a tergo et a fronte, aqua autem fluebat ab utraque parte. Reversa est haec femina et vidit stare grandinem, non appropinquantem ad cibum. Adoravit et 15 gratiam egit, dicens: « Benedictus Dominus, Deus Eustathii! » Clamabat et vociferabat, ut advenirent omnes homines; ii existimaverunt eam a viro violari, et advenerunt ad eam, currentes propere. Haec adoravit et, laete exclamans, dixit iis: « Spectate miraculum et rem mirabilem quam fecit abbas Eusta- 20 thius precatione sua. Nam hunc cibum quem videtis, misit ille mihi, ut facerem memoriam eius. Posui eum in domo mea, die f. 75. autem memoriae eius ineunte extuli ut *molerem ». Viderunt et adoraverunt; mirabantur et celebrabant Deum omnes videntes et audientes. 25

Miraculum (quintumdecimum), etc. — Accidit, ut in Engabṭon, in monasterium abbatis Iosephi, veniret quidam de filiis abbatis Takla-Hāymānot, *et* commoraretur apud eos, serviens magistro (m a m h e r) eorum. Cum mortuus esset hic magister, statuerunt loco eius hunc filium abbatis Takla-Hāymānot; monaste- 30 rium autem erat (ordinis) abbatis Eustathii, et monachi eius, filii abbatis Eustathii. Dixerunt huic filio abbatis Takla-Hāymānot: « Cuius memoriam celebrabimus, utrum tui magistri, an nostri abbatis Eustathii? » Respondit iis: « Facite cuius vultis ». Dixerunt: « Celebrabimus tui magistri ». Et praeparaverunt dapes 35 et potum die memoriae eius, qui non erat eorum magister. Et hoc die tulit abbas Eustathius magnum lapidem et perfregit domos et oeconomos praeparantes dapes et potum, et mortui



sunt. Et recepit se hic magister in templum. Et dixit iis abbas Eustathius: « Ego feci hoc, et immisi in vos pestem, quod desiistis facere memoriam meam et praeposuistis alium mihi ». Cum haec audivissent, fugerunt in templum et precabantur, 5 exclamantes et dicentes: « Peccavimus et destitimus a memoria tua facienda, nunc ignosce nobis; hoc non faciemus in posterum, sed faciemus memoriam tuam ». *Et postea vitam f. 75,v. agebant et, die memoriae patris nostri Eustathii appropinquante, meliores fecerunt cibum et potum et duplicaverunt eos prae 10 pristino tempore. Et fecerunt convivium magnum pauperibus et egentibus; precabantur et serviebant in templo. Et die memoriae suae descendit ad eos abbas Eustathius; viderunt eum manifesto, cum duobus angelis, stantem in templo usque ad finem precationis eorum. Hoc miraculum fecit in terra Sēwā.

15 Miraculum (sextumdecimum), etc. — Coeperunt exstruere templum filii abbatis Iosephi [1], et exstructione finita inscripserunt intus: « Incepimus et finivimus vi precum abbatis Eustathii ». Advenit monachus, filius abbatis Takla-Hāymānot, nomine Thomas, qui erat archimandrita (m a m h e r), intravit in 20 templum et, visa inscriptione: « Incepimus et finivimus vi precum abbatis Eustathii », indignatus est et dixit iis: « Qua de causa inscripsistis sic? cur hic est Eustathius in hoc monasterio extra Armeniam, nam haec regio est abbatis Takla-Hāymānot? » Dixit iis et catenis vinxit archipresbyterum (l i q a-k ā h n ā t) et 25 praepositum congregationis (l i q a-m ā ḫ b a r). Et convenerunt ad eum omnes monachi et dixerunt: « Ignoscas et parcas, et liberes eos ». Ille repugnabat neque audiebat eos. Iverunt in templum *et precati sunt dicentes: « Iuva nos, Deus Eustathii ». f. 76. Audivit precationem eorum, et eodem die et hora venerunt 30 ministri regis, qui vinxerunt abduxeruntque eum, hos autem sanctos monachos liberaverunt precatione abbatis Eustathii thaumaturgi, qui catenas et flagellationem in eum vertit, qui vinxerat filios abbatis Eustathii. Precatio eius, etc.

Miraculum (septimumdecimum), etc. — Iterum fuit osten-35 tum et miraculum, collectis et certantibus filiis abbatis Takla-

[1] Sermo est de eodem monasterio, quod commemoratum est in superiore miraculo.

Hāymānot et filiis abbatis Eustathii de agro, dicentibus: « Hic est noster », « Hic noster est ». Et dixerunt filii abbatis Eustathii: « Litigemus! Si est noster, ut sciatis, confringat bacula vestra abbas Eustathius, nobis in area iudicii stantibus. Si autem est vester, ut nobis persuadeamus, confringat bacula nostra magister vester, abbas Takla-Hāymānot, nobis in area iudicii adversantibus ». Die constituta, iverunt coram ḫ a ḍ a n ā, ministris regis (l ā ' ē k ā n a). Cum innisi essent baculis, antequam locuti sint, fractum est baculum magistri filiorum Takla-Hāymānot. Dederunt ei aliud baculum, nescientes quae collocuti essent et quod fecisset abbas Eustathius. Et id fractum est. Et dixerunt: « Demus ei firmum baculum », et dederunt tertium. Fractum est et id. Et tum intellexerunt, fracta esse tria bacula precatione abbatis Eustathii, et dixerunt: « Peccavimus et per errorem lapsi sumus ». *Et adoraverunt, narrantes ḫ a ḍ a n ā et regi hoc miraculum abbatis Eustathii. Et mirabantur omnes. Oratio et benedictio eius sit cum filio eius Ionatha in saecula saeculorum. Amen.

f. 76,v.

Audiatis [1] gentes et populi,
habitantes in oriente et occidente,
in septentrionibus et meridie, ad boream et meridiem,
quae fecerit hic magister (m a m h e r), os plectri,
cedrus Libani virens,
nidus multarum columbarum,
plenus sapientiae.

Mirabile est quod praecepit Eustathius pater noster filiis suis, cum irent mari pedibus, postquam non permisit iis dominus navis ut ascenderent navem suam, quod non habebant aurum nec argentum nec vestes, nam odium conceperant in bona; sicut pannos menstruatae, sacerdotibus abominandos, ita aestimabat possessionem terrenam, nam dixit Dominus noster in Evangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum [2]. « Mementote, filii mei, sitis firmi et fortes, et nolite timere undas maris. Cum videbitis et audietis balaenas et hippopotamos magnos et crocodilos et a n g ŭ ă g ŭ ' ā t

[1] Etiam haec libri conclusio in codicibus sub titulo « Miraculum... » posita est. — [2] Matth., v, 3.

qui edunt pisces, nolite timere, filii mei, eorum minas, nam non possunt offendere vos, ut dicit Scriptura: 'Dominus solus dux eius fuit, *et non erat cum eo Deus alienus; constituit eum super excelsam terram '[1]. Mementote, filii mei, oves Christi rationales, linguae sancti Spiritus, quomodo iverint homines Israel mari, cum effugissent opus latericium, abeuntes cum pecudibus et bonis eorum. Hoc mare quasi murus fuit iis a dextra et laeva [2]. Et cum percussisset Moyses baculo, quod in manu eius, recessit et divisum est huc et illuc ante eos, et trivit illud DC milia peditum, non numeratis feminis et liberis et bonis; nam dilexit Deus Israel et eduxit eum e mari Dominus Deus eorum. Et demersit hostes qui persequebantur eos. Insolita et mirabilia audivimus; equum et ascensorem demersit, et operuit eos mare propter superbiam eorum, nam sperabant in multitudine divitiarum suarum et firmitate vis suae. Ii autem qui sperabant in Deo et credebant in eum, servati sunt, et exierunt e mari cum liberis et uxoribus, et saliebant gaudio, exsultantes et praedicantes et dicentes: 'Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare [3], nos autem servavit et eduxit in terram. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est!' Et peragravit fama facti eius in omnes partes orbis terrarum. Hic Deus, qui servavit Israel diebus Moysis, servabit et vos, filii mei, membra *Christi. Reminiscamini quoque, quomodo transierit Israel fluvium Iordanem, plenum aquae ad ripas; calcavit eum Israel pedibus. Et ceperunt de eo XII teretes lapides [4], numero filiorum Israel, in memoriam pro iis qui vivent in futura generatione, ut traderent et scirent quomodo siccata esset media pars fluvii eius, animantibus euntibus diebus Iosue filii Nun. Et sciatis quoque, filii mei, quomodo iverint IX tribus et dimidium tribus mari Azāph, ferentes Arcam et terentes pedibus aquam nomine Nolos. Mare obsecutum est iis et transmisit eos; ita fecit antiquis vestris, filii mei. Et nunc, filii mei, nolite timere, sed currite et exsultate, ferentes crucem Christi, ut faciebant ante vos Moyses et Iosue,

quos ducebant angelus Faciei et angelus Sanctitatis,
qui liberaverunt eos ab exitio

f. 77.

f. 77,v.

[1] *Deuter.*, XXXII. 12. — [2] Cfr. *Exod.*, XIV, 22. — [3] *Exod.*, XV, 1. — [4] Ios., IV, 3.

et dederunt eis hereditatem ad oram maris et insulas milibus
[Ephraim et Manassis.
Memores quoque sitis, quomodo servatus est Ionas, cum esset
[in alvo balaenae tres dies et tres noctes,
et exierit ex eo et prophetaverit, 5
et vim Dei sui celebraverit. [Zebedaei, suavis odor cassiae,
Memores quoque sitis, quomodo se servaverit Iohannes filius
vox VII tonitruum, obsignator sine scriptura.
Fuit XL dies et XL noctes in mari Phetmo[1] [studio,
et Prochorus, discipulus eius, eum quaerebat magno cum 10
Theologus autem stabat in loco Marmareon
et audiebat sonitum tubae, suavem cordi, quem non potest
f. 78. [perficere *et explicare lingua humana.
Narrabo vobis, filii mei et dilecti mei, hoc erit suave cordi
[vestro, quomodo servatus sit. 15
Ipse Filius Dei osculatus est eum
et, sale amoris sui suavis, odoribus implevit et condivit eum.
Et usque ad hoc tempus manet corpore et animo, neque
gustavit pateram mortis. Et nunc, filii mei, cur terrent vos
minae maris huius? Reminiscamini eorum qui se servaverunt 20
et liberati sunt a formidinibus maris huius, cum servavisset eos
Deus: ‘ Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam
manus eius formaverunt. Venite adoremus, et procidamus
et ploremus ante Dominum, qui fecit nos[2] ’. Si dispersi sumus
in ventos, manus eius colliget nos; nam opus ei sumus nos et 25
quaerit nos negotii sui causa, quoniam utiles ei sumus ad construendam domum eius observatione legis et statutorum eius ».
[suam

Et talibus dictis, Eustathius pater noster imposuit manum
super caput maioris filiorum suorum, 30
et dedit ei in dextram sanctam crucem Christi
et evangeliorum regni in gremium eius, [tergum maris ».
et dixit: « Vade, duc fratres tuos, ut sequantur vestigia tua per

Deinde iussit secundum filium suum: « Et tu sequaris vestigia mea, sequens me ». Et tum iverunt mari se mutuo co- 35

[1] Patmos. Narratio assumpta est e pseudo-Prochoro. Vid. Budge, *The Contendings*, etc., I, 193; II, 228. Lipsius, op. cit., I, 368. — [2] *Ps.* XCIV (XCV), 6.

hortantes. Erant prompto animo, non dubitabant, terentes mare super profunditatem eius. Et fuerunt in itinere, non exeuntes e mari XIX dies et XIX noctes. Et nulla laesio accidit iis omnino e marinarum tentationum. Undae non demerserunt eos:
5 undae non surgebant contra eos. Bestiae habitantes *in mari, f. 78,v.
non feriebant nec terrebant eos, quamquam magnitudo earum terribilis et dentes earum acuti et multi, et tremere faciunt cor hominis. Oculi aliis erant magni sicut clipei, aliis similes erant soli et lunae, nonnullis autem sicut stella matutina. Haec
10 bestiae fuerunt sicut eorum propinqui et cum iis consociati, et pacatae sicut leones Babylonici in lacu cum Daniele propheta, et cum Iohanne, filio Zachariae, casto, cum audirent eum annunciantem verbum Evangelii in desertis Aennon et in desertis Sinai; tum inclinaverunt aures suas ad eum leones, ut nun-
15 ciaret verbum oris sui, nam Christum annunciabat, ferens Evangelium Dei capite suo et vadens sine corpore et anima, alis Gabrielis angeli, inter caelum et terram, et dicens: « Non licet tibi, Herodes, habere uxorem Philippi, fratris tui [1] ». Sic et hic Mār Eustathius, novus apostolus, qui annunciabat Aethio-
20 piae, exiit e mari Iāriko, et advenit in Armeniam. Et ibi fecit mirabilia facta, difficilia auditu auribus et visu oculis. Et cum exiisset e mari, nondum ingressus oppidum quod petebat, obviam habuit cadaver iuvenis, quod ferebatur ad sepeliendum. Et cum vidissent portantes Eustathium abbatem, posuerunt hoc corpus
25 et accesserunt ad eum, ut cognoscerent fidem eius et factum eius mirabile, et quomodo ivisset *sine nave per mare, ipse f. 79.
et discipuli pedibus euntes, terentes mare sicut terram. Et hic Eustathius pater noster ivit nave pallii sui per aequor. Et hoc pallium fuit sine humore et non fuit contra id tempestas. Et
30 reliquit hoc pallium in quo stabat, ut esset in mari testimonium et memoriale futuris generationibus. Et tum advenit ad catervam ferentium corpus. Et cum vidisset dolorem eorum et fletum et ploratum, dixit iis: « Tacete, sat est vobis; nunc videbitis vim Dei, nam potestas mortis et vitae in manu eius,
35 et nihil est ei impossibile ex omnibus rebus ». Et, his dictis, stetit inter eos et advocavit nomen Domini ante turbam eorum, et resuscitavit hunc iuvenem et reversi sunt omnes gaudentes

[1] Marc., VI, 18.

et celebrantes Deum et Eustathium abbatem qui, cum iis et cum hoc iuvene quem a mortuis revocavit, in oppidum Armeniae profectus est. Cum vidissent Eustathium abbatem, parvi et magni adoraverunt eum et celebraverunt eum, ut creatorem suum, quod iis revocaverat a morte hoc corpus iuvenis, filii nobilium et divi- 5 tum huius oppidi. Et commoratus est Eustathius pater noster apud eos XIV annos, annuncians verbum fidei, sicut patres nostri apostoli sancti. Et pererrabat montes et insulas [1], ex oppido in oppidum proficiscens, ut cognosceret fidem et opera hominum f. 79,v. Armeniae. *Et cum cognovisset bene fidem metropolitarum et epi- 10 scoporum eorum, praecepit sacerdotibus et diaconis, ut colerent sabbata et dies festos, in « Synodo » patrum apostolorum sanctorum institutos; et omnes paruerunt ei, parvi et magni, viri et feminae se converterunt ad eius doctrinam, et fuit Eustathius pater noster cum iis in communicatione sacrorum. Cum vidisset 15 firmitatem fidei eorum, amavit eos omnes, ut seipsum, nam fuerunt aemulatores legis Dei sicut Angeli sancti, qui vigilant et supplicant eius clementiae erga omnem naturam humanam. Et cum deinde cognovisset fidem et facta virorum terrae Armeniae, praecepit discipulis suis: « Filii, spectetis omnia quae fecit nobis 20 Deus et quomodo servaverit nos ab undis maris, in medio eius commorantes, et ab hippopotamis et crocodilis et balaenis non ferientibus nos; numerus autem mensurae temporis quod fuimus in mari, XXXVIII dies [2]. Et nunc revertamini et nuncietis Aethiopiae regibus, praefectis (m a k ŭ ā n e n t) et iudicibus (m a s ā f- 25 n e n t), metropolitis, sacerdotibus et diaconis, monachis, viris et feminis orthodoxis, ut laetentur et praedicent simul nomen Domini, cum audiverint omnia miracula nobis a Deo facta ». Et exierunt discipuli eius e terra Armeniae et advenerunt Alexandriam, et nunciaverunt ibi patriarchis et episcopis Aegypti; inde 30 f. 80. autem egressi, redierunt *in terram Aethiopiae et narraverunt omnibus filiis et abbati Absādi, pastori suo, beneficia quae fecit eis Deus, et consentiens esse pignus (? a h a z) [3] libri « Synodos » Alexandriae Armeniaeque pignori (?) « Synodos » terrae Aethiopiae; hoc est verbum quo praeceptum est de colendis duo- 35 bus sabbatis, secundum praeceptum legis et prophetarum, evan-

[1] I. e., monasteria in montibus et insulis posita. — [2] Supra dictum est XIX dies et XIX noctes. — [3] Videtur sensus esse *textum* libri.


gelii autem quoque et apostoli, et quo dictum est: « Custodite sabbata Domini Dei vestri, vos et omnes vestri, nam Deus dixit: Custodite sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum [1] ». Memores sitis eorum quae dixerunt Apostoli patres nostri: ' Et
5 fiat nihil sine consilio episcopi, nihil rerum Ecclesiae. ' Et nunc omnia, quae praecepi vobis, iussa Dei praecepi vobis, et haec ne sint vobis iudicio vel altercationi, sed gaudio, laetitiae, clementiae et paci, omnibus diebus vitae vestrae. Et dicite fratribus vestris: sitis firmi et constantes in lege fidei et consensione quae
10 est a Spiritu sancto, et precemini pro me, ut regat Deus iter meum et profectum meum in pace et favore suo ». Et cum reversi essent discipuli eius, facti sunt eius discipuli duo leones: alter ferebat vestem eius, alter Evangelium et « Synodum ». Vitam agebant cum eo, servientes ei et parentes ut homines. Si fatigabatur
15 in itinere, considebat in iis verbo Scripturae: « Super aspidem *et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum: clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione eius, eripiam eum et glorificabo eum, lon-
20 gitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum [2] ». Profecto, profecto ostendit salutare suum Deus Eustathio patri nostro magistro (m a m h e r), et servavit eum ex undis maris et a leonibus rapacibus Dominus Deus eius, in quem speravit.

f. 80,v.

Et post obitum Eustathii patris nostri vivebant hi leones, ser-
25 vantes sepulcrum eius XIV annos. Cum autem mortui essent hi leones, sepeliverunt eos, sicut homines, sinistrorsum a sepulcro Eustathii patris nostri, nam sciebant eos fuisse cum eo XIV annos, servientes et parentes ei, sicut homines, in omnibus quae volebat. Videntes morem eorum omnes homines
30 intellexerunt eos esse discipulos Eustathii patris nostri, casti praedicatoris Evangelii. Ille fuit portator crucis Verbi, qui ibat mari et undis, qui confidebat potentiae Emmanuelis.

Precatio et benedictio eius sit cum omnibus nobis, viris christianis, in saecula saeculorum. Amen, amen. Sit, sit.

[1] *Lev.*, XXVI, 2. — [2] *Ps.* XC (XCI), 13-16.








n (Rossini ed) # 12703
io.

